



1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

[illegible]

4th July 1808

Ctt. from B. F. Esqr

April 4th 1815

HENRICI NAVARRORUM REGIS EPISTOLÆ,

IV, King of France

Ad Augustum Imperatorem Romanorum, ac Reges, Principes, & Respublicas Europeas,

Quæ Evangelicæ & Catholicæ Apostolicæ dicuntur,


DE

Pace Ecclesiastica constituenda, & Controversiis sopiendis. His subjiciuntur

Regum, Principum, & Rerum Publicarum ad Henricum Navarræ Regem

RESPONSA

Nunquam ante hac edita.



ULTRAJECTI,
Apud JOHANNEM RIBBIUM.
Anno 1679.

Reg. St.
Grant
2-27-40
40106

Generoſiſſimo & Excellentiſſimo

DOMINO

DOMINO GEORGIO FREDERICO,

COMITI WALDECENSI,
Pyrmontano & Culemburgenſi

FOEDERATÆ BELGICÆ EXERCITUUM DUCI.



Ptatiſſimæ pacis lux, cum non ita pridem poſt tantas tenebras & tam illætabilem noctem ſalutaris ſyderis inſtar nobis affulſit, exultantes gaudio pro cœleſti hoc munere ter Optimo Deo laudes & grates egimus, & Tibi, Generoſiſſime Comes, fauſta quæque ſumus precati, cujus virtuti & conſilio præcipue debetur,

quod in illis asperrimis temporibus Reipublicæ, cum non esset inclinata, sed jam jam casura videretur, sisti potuerit, & postea convenerit non obnoxia pax, quam nobis propriam esse volumus. Sed pax Reipublicæ difficulter haberi, aut diu retineri potest, si animorum præcipue in sacris magna est dijunctio, & voluntatum in colendo Deo discrepantia. Hinc Magni Reges & Principes, quibus cordi fuit salus & dignitas Christianæ rei, in hac cura mentem & cogitationem omnem fixerunt, qua ratione possint sopiri controversiæ, ac e medio tolli tanto animorum æstu tot annos agitata diversitas opinionum de nonnullis doctrinæ Christianæ capitibus. Hæc enim dissensio quot funesta & Christiano nomini

mini exitiosa & pudenda bella concitavit, quantorum malorum caussa fuit olim, & est cum maxime, ut vere dici possit, quot

Relligio peperit scelerosa atque impia facta!

Inter alios Henrici IV. Navarræ tum Regis, qui postea ad Franciæ Regnum Natalium privilegio evectus Magni nomen rebus præclarissime gestis meruit, studium in desideratissima hac Ecclesiæ tranquillitate constituenda in primis eluxit. Hæ, quas ex tenebris in lucem protraximus, Ejus Epistolæ id luculente testantur, quas exaravit hanc ob caussam ad Imperatorem Augustum, ad Reges, Principes, & Respublicas Europeas plerasque omnes, quæ priscam superstitionem, quæ tractu-

 tem-

temporis inolevit, & late serpsit, ut a Christo Servatore & Apostolis institutorum sacrorum mundities & nitor valde contaminaretur, ejurarant, aut ut ejurarent impelli posse credebantur. His accedunt plerorumque ad quos scriptæ sunt responsiones ad Henricum Navarreum, ex quibus cognoscere licet, quanto tum omnes flagrarint desiderio hæc parricidalia dissidia componendi, dissociatosque Christianorum animos in concordiam reducendi. Etsi multa tum intercesserunt, quæ præclarum hoc institutum tanquam in herba oppresserunt, & aliorum quoque, qui post hoc tempus duram istam ceperunt provinciam, optimam voluntatem retardarunt, speramus tamen extiturum aliquando

do Principem egregium, di i
no quodam ardore propagan :
purioris doctrinæ inflamn
tum, qui in id omni studio
contentione incumbat, ut
diorum facibus extinctis,
calidis ferocium & sua tantu
amantium ingeniorum con
liis repressis, piorum & s
pientium hominum cura & st
dio pax Ecclesiæ bona fide sa
ciatur, quo non potest Or
Christiano dies lætior & ca
didior oriri. Forte hæ ip
epistolæ multis jam pride
hanc concordiam anhelant
bus stimulos admovebunt, a
urgendum acrius, quod pra
clare dudum cogitarunt, & a
iras animosque mutuis conti
meliis & acerbitatibus ex
speratos remolliendos. Quo
si fiet, magnum operæ qua
eis edendis, cum nobiscu

* 4. cor

communicatæ essent ab homine docto, qui ex Galliis, ubi eas nactus fuit a posteris viri eximii, qui olim Henrico IV. fuit a manu & secretis, impendi, pretium me consecutum esse existimabo. Sin nondum a fatis statuta his litibus finiendis dies illuxit, non potest tamen a quoquam improbari studium hominum pacis Christianæ cupidorum, qui maluerunt istas Epistolas luce dignissimas in manibus hominum esse, quam a blattis & tineis corrumpi. Tibi sane, Generosissime Comes, nulli dubitamus quin tanti Regis Epistolæ sint futuræ gratissimæ, qui in omni vita præ te fers nihil salute & Concordia Ecclesiæ Tibi esse antiquius, nec armorum laudem, & servatæ Reipublicæ gloriam virtute

par-

partam Te pluris facere, quà
Religionis decus assertum. Ide
Deum omnes supplices ven
[illegible] ut diu Te Reipublica
[illegible]æ bono servet, &
tueatur incolumem, utqu
diu rem feliciter & ex senten
tia geras.

Trajecti ad Rhenum XIII. K
Jun. CIↃ IↃ XXIX

Generosi
mo

Addictissimus & obs
quentissimus cliens,

J. RIBBIU

Speciarum hoc opere continentur.

1. EPistola Henrici Navarræ Regis ad Imp. Rom. Rudolphum II. P. 1.
2. Mandata à dicto Rege Legato suo Domino Segurio Pardiliano data, continentia Capita S. Cæsareæ Majestati exponenda. 3.
3. Epistola Legati ad Cæsarem. 14.
4. Epistola Henrici Regis ad Regem Daniæ Fridericum. 23.
5. Mandata ex quorum formula cum Rege Daniæ Legatus agat. 30.
6. Responsum Regis Daniæ nomine datum. 56.
7. Literæ Daniæ Regis ad Henricum III. Galliæ Regem. 69.
8. Epistola ejusdem Daniæ Regis ad Henricum Navarræ Regem. 76.
9. & 10. Binæ Legati Navarreni ad Regem Daniæ Literæ. 80, 83.
11. Responsum Daniæ Regis. 85.
12. & 13. Binæ Legati ad Regem Daniæ Literæ. 88, 94.
14. Responsoria Daniæ Regis. 97.
15. Literæ Legati ad Daniæ Regem. 99.
16. Responsoria Henrici Julii Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis ad Legatum data. 111.
17. Responsoria Ducis Holsatiæ ad Henrici Navarræ Regis Literas. 116.
18. Responsum Electoris Brandeburgici. 123.
19. Responsum Prussiæ Ducis ad Henricum Regem Navarræ. 134.
20. Ejusdem ad Legatum data responsoria. 142.
21. Responsoria Holsatiæ Ducis ad Legatum data. 145.
22. Epistola Legati ad Holsatiæ Ducem. 149.
23. Epistola Henrici Navarræ Regis ad Johannem III. Sueciæ Regem. 10 5
24 Legati Epistola ad eundem. 156.
25. Responsoria Sueciæ Regis ad Navarræ Regem data. 160.
26. Navarræ Regis Literæ ad Carolum Sudermanniæ Ducem Sueciæ Heredem. 165.
27. Legati Literæ ad eundem. 168.
28. Epistola Henrici Regis ad Augustum Saxoniæ Electorem. 171.
29. Mandata ex quorum formula Legatus cum Saxoniæ Electore agat. 178

30. Rea

30. *Responsum Electoris Saxoniæ nomine Legato datum.* 207.

31. *Epistola Saxoniæ Electoris ad Henricum III. Galliæ Regem.* 214.

32. *Epistola Henrici Regis ad Julium Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem.* 218.

33. *Responsoria ejusdem Julii ad Henrici Regis Literas.* 222.

34. *Responsum Ducis Megalopolitani ad ejusdem Regis Navarræ Literas.* 231.

35. *Responsoria Principis Anhaltini ad eundem.* 237.

36. *Responsum Wilhelmi Hassiæ Lantgravii nomine datum.* 241.

37. *Responsum Senatus Lubecenses ad proposita Legati Regii.* 247.

38. *Responsoria Ottonis Brunsv. & Luneb. Ducis ad Henricum Regem.* 250.

39. *Ejusdem ad Legatum data Responsoria.* 255.

40. *Henrici Navarræ Regis Epistola ad Civitatem N.N.* 257.

41. *Magdeburgensis Civitatis ad Henricum Regem Literæ.* 263.

42. *Hamburgensis Civitatis Responsoria ad Henricum Regem data.* 270.

43. *Ejusdem Civitatis ad Legatum Epistola.* 276.

44. *Verdensis Cancellarii ad Legatum Epistola.* 278.

45. *Henrici Regis Literæ ad Comitem, N.N.* 280.

46. *Legati Epistola ad Principem Anhaltinum.* 285.

47. *Legati Epistola ad Electorem Brandeburgensem.* 290.

48. *Ejusdem Literæ à Megapolensem & Ottonem Brunsvicensem Duces.* 292.

49. *Ejusdem Legati ad Julium Brunsvicensem Ducem Literæ.* 295.

50. *Ejusdem ad Episcopum Halberstadensem Epistola.* 298.

51. *Ejusdem ad Civitates Epistola.* 300.

52. *Ejusdem ad Wilhelmum Ducem Luneburgensem Epistola.* 302.

53. *Ejusdem ad varios Principes Literæ.* 305.

54. *Ejusdem ad Principem Pomeraniæ & Ducem Anspachii Epistola.* 307.

55. *Ejusdem ad Electorem Brandeburgensem Epistola.* 312.

56. *Anhaltini Principis ad Legatum Epistola.* 315.

57.

57. 58, 59, 60, 61, 62. *Legati ad Saxoniæ Electorem Epistolæ sex* 318. & *seqq.*
63. *Electoris Saxoniæ ad Legatum Responsoria.* 334.
64. *Legati ad Electorem Saxonicum Epistola.* 337.
65. *Johannis Casimiri Comitis Palatini Tutoris & Palatinatus Electoralis Administratoris ad Legatum Epistola.* 340.
66. *Julii Brunsuicensis & Luneaburgensis Ducis ad Legatum data Responsoria* 344.
67. *Legati ad Julium Brunsuicensem Ducem Epistola.* 346.
68. *Ejusdem ad Electorem Saxoniæ Epistola.* 351.
69. *Ejusdem ad eundem alia.* 356.
70. *Alia adhuc ab eodem ad eundem.* 361.
71. *Mandata Henrici Regis Legato suo data, ex quarum formula cum Electoribus & Principibus Germaniæ agat.* 364.
72. *Edzardi Orientalis Frisiæ Comitis ad Legatum Responsoria.* 387.
73. *Wilhelmi Brunsuicensis & Luneburgensis Ducis ad Henricum Regem Responsoria.* 390.
74. *Bremensis Civitatis ad Regem Navarræ Epistola.* 398.
75. *Responsum Ludovici Lantgravii Hassiæ nomine datum.* 406.
76. *Edzardi Orientalis Frisiæ Comitis ad Legatum Responsoria.* 411.
77. *Johannis Orientalis Frisiæ Comitis ad Legatum Epistola.* 415.
78. *Epistola Elisabethæ Angliæ Reginæ ad Ludovicum Electorem Palatinum.* 416.
79. *Mandata ex quorum formula Legatus cum Comitibus & Civitatibus Imperii agat.* 419.



EPISTOLA HENRICI
Navarrorum Regis
AD
RUDOLPHUM II.
Romanorum Imperatorem.

Potentiſſime Cæſar, Frater & Conſanguinee obſervantiſſime.

PRomulgato in *Gallia* pacis *Edicto*, incredibili quodam deſiderio tenebamur, pleroſque *Reges* & *Principes chriſtianos* inviſendi, qui de *Rep. chriſtiana* quam optime meriti eſſent:

Sed propter eximiam *Cæsareæ vestræ Majestatis* virtutem & heroicas animi dotes, ipsius compellandæ præcipuum studium erat. Hoc igitur ut assequeremur, decreveramus anno superiore itineri longinquo & difficili nos committere, cum ecce suborientes in constituenda pace *Gallica* difficultates novæ, nos propemodum ad viam illam accinctos detinuerunt, & invitos, & adhuc remorantur. Ex eo factum ut *Dominum Jacobum Segurium*, interiori nostro *Consilio Præfectum*, cum ad alios *Principes* plerosque, tum ad *Cæsaream vestram Majestatem* ablegaverimus, tum ut nostrum in eam studium, benevolentiam & animi propensionem verbis indicaret, quam omni genere officiorum atque obsequiorum declarare voluimus, tum etiam ut de gravissimis negotiis & ad *christianæ Reip.* salutem pertinentibus ex mandati sui formula, cum *Cæsarea vestra Majestate* nostro nomino ageret. Quod quoniam illum fide-

fideliter & ſincere facturum confidimus, & a *Majeſtate* veſtra pro ſolita ipſius Clementia & rei gravitate benigne auditum iri, Epiſtolæ modum non excedemus, ſed *Deum Opt. Max.* precamur, ut *Cæſaream veſtram Majeſtatem* ad *Germaniæ* totiuſque *Orbis chriſtiani* ſalutem & incolumitatem diutiſſime ſoſpitem ſervet.

II.

MANDATI REGII LEGATO dati forma.

Dominus Segurius Pardalianus Domus noſtræ & interioris Conſilii Præfectus, Legatuſque noſter per Germaniam potentiſſimo Imperatori. Noſtris verbis referet, conſtituta demum in *Regno Gallico* pace, qua *Dei Opt. Max.* beneficio & ſin-

gulari *Regis christianissimi* clementia fruimur, nihil prius habuisse nos, neque antiquius, quam ut diuturnis bellorum periculis atque laboribus defuncti *Cæsaream ipsius Majestatem*, & reliquos *Catholicæ Romanæ*, nostræque *orthodoxæ Religionis Principes* inviseremus, qui pacis & concordiæ inter *Christianos* sanciendæ cupidiores essent, partim ut initam inter nos amicitiam & benevolentiam firmioribus vinculis colligaremus, partim etiam ut de rebus ad *Rempubl. christianam* pertinentibus cum iis ageremus. Verum cum in firmanda & stabilienda pace *Galliæ* innumeras quotidie difficultates suborirentur, quibus depellendis aliquid erat in nobis præsidii, ab ea caritate, qua *patriam* amplectimur, properantibus nobis injecta est remora, & hic diutius hærendi occasio oblata, ut & laboranti *patriæ* pro viribus opitularemur, *Regnoque* nostro & ditionibus prospiceremus, & pro jure illius gradus, quo propius

pius quam cæteri omnes *Principes familiam Regiam* attingimus, in *Gallia* juxta *christianissimi Regis* sententiam & *Edicta pacis* conservandæ juvaremus. Ex quo factum est, ut tum urgente necessitate *Germaniæ* profectionis institutum mutaverimus. Quod proximum fuit, *Dominum Segurium* interiori nostro *Consilio Præfectum* ad *potentissimam Imperatorem*, *Serenissimam Angliæ Reginam*, *Serenissimum Daniæ Regem*, *Illustrissimos* nonnullos *Sacri Rom. Imp. Electores* & alios *Principes* ablegaverimus, præsertim verò ad *Cæsaream Maiestatem*, apud quam benevolentiæ & propensionis ad omnia officia & obseqnia prestanda, voluntatis & studii inculcatissimum in his litteris testimonium extare voluimus.

Quod cum indicaverit *Segurius* noster, & *potentissimum Imperatorem*, ea qua par est observantia & reverentia nostro nomine officiosissime salutaverit, tum *Cæsarea ipsius*

Majest. duo potissimum significabit. Prius est, quam gravissimis & periculosissimis bellis fuerit conflictata & concussa, vigintiduos jam fere annos, propter Religionis dissidium, major totius *christiani orbis* pars, quod etsi omnibus notius est quam ut explicari debeat, *Cæsareæ* vero *Majestatis* eà sit prudentia & *Reip. christianæ* cura, ut rei pravitatem expendat, & quid inde futurum sit periculi, ipsa per se prospicit, tamen hanc qualemcunque commonefactionem, vel potius mœroris nostri ex diuturnis illis ærumnis significationem, citra fucum & ambitionem propositam, *Cæsareæ Majestati* (cujus summa prædicatur humanitas) non ingratam neque injucundam fore confidimus.

Nam ut alia prætermittamus infinita scelera, quæ miseranda illa tot bellorum repetita series invexit, ut oppidorum direptiones & *christiani sanguinis* effusionem, cum incredibili legum & di-

vinarum & humanarum contemtu, quis non videat *potentissimo* simul & *impotentissimo Turcarum Tyranno*, ad internecionem nominis *christiani*, dissidiis intestinis viam aperiri.

Hujus vero mali fontem atque originem non aliam esse statuimus, quam *Pontificis Romani* ambitionem & *Simoniaca* consilia, qui ut labantem autoritatem suam quavis ratione sustineat, *Principum christianorum* animos, pacis alioquin studiosos, adversus eos accendit, qui *Religionem* nostram profitentur, & conscientias iterum ad jugum ab iis excussum adigere studet. Cum enim in pace *Ecclesiarum* nostrarum plurimum videat esse præsidii ad salutem & amplificationem ipsarum, bellorum incendia in illis spargit, *florentissimorum Regnorum* & *Gentium* eversiones floccipendit, modo sanguinarium illum animum ultione expleat, & eadem ruina, tum in *Germania*, tum in

Gallia, *protestantes Ecclesias* involvat.

Quanta porro fuerit semper *Rom. Pontificum* ambitio & inexhausta dominandi cupiditas, quam incredibili adversus *Imperatores Rom.* flagraverint odio, testantur diuturna illa bella, tum in *Italia*, tum in *Germania*, gesta, quorum exitus is fuit, ut *Imperatores anathematum* larvis sæpius exterriti, a *Pontificibus* tandem, obtentu *Religionis*, plebis animum conturbantibus, *Italia* pulsi sint, & potestas illa *Pontificum* longe propagata. Nam in *Gallia* ipsa & *Anglia* quid tentaverint *Pontifices*, quibus clavis usi sint, ut utrumque illud *Regnum* sibi feudatarium redderent, testantur Historiæ, non sine luculenta commemoratione virtutis eorum *Regum*, qui crescentem illam *Pontificum Tyrannidem* repellerent.

Cum igitur hoc seculo patefactæ sunt eorum præstigiæ & superstitionis ille fucus, quem ambitioni suæ præ-

prætexebant, ut jam obfirmatis multis annis, non tam de Imperio quam de salute sua dimicent *Pontifices*, nihil mirum est si Tragædias multas, toto passim *christiano* orbe excitent, & optimorum *Principum* animos ad arma, adversus subditos suos, *veræ Religionis* amantes, capienda impellant. Neque enim florentissimos status in discrimen adducere verentur extremum, nequid ei potentiæ decedat, quam malis artibus quæsitam, malis artibus servare studeant. Atque ex eo quidem ambitionis fonte consilia illa promanarunt, quibus & *Gallia* & *Belgica* ipsa ante multos jam annos misere diripitur, *Germaniæ* vero classicum canitur, & in ipsis finibus *Coloniensi* bellum excitatur.

Quæ cum ita sint, *invictissimam Cæsaream Majestatem*, cui pro summa illa dignitate, *Christianæ* concordiæ & pacis cura incumbit precipua, omni prece & contentione rogatam cupimus, ut cum *Serenissi-*

mis Regibus & *orbis Christiani Principibus* de pace complectenda & retinenda diligenter agat, eosque serio adhortetur, ut violentis *Pontificum Romanorum* consiliis aures occludant, subditis suis *Orthodoxam nostram Religionem* profitentibus, pacem & tranquillitatem, cum invocandi *Dei* ex ipsius mandatis libertate conjunctam præstent, neve existiment, animam, nobilissimam hominis partem, & *aura Divina* igniculum, presertim *Evangelica luce* illustratam, ullis bellorum ærumnis premi, ullo fiducularum aut equuleorum genere cogi posse, ad ea dogmata suscipienda, quæ vel a ratione, vel a *Divinis scriptis* aliena judicet, presertim, cum neque precibus ullis, neque violentia, aut cruciatus acerbitate veritas eruatur, sed amica & benevola collatione, & ejusmodi colloquiis & *Synodis*, quales *prisca Ecclesia* plerasque novit, nostra vero ætas hactenus desiderat: Hoc autem si fecerit *Cæsarea Majestas*, &

Prin-

Principum christianorum animos ad pacis rationes & ſtudia traduxerit, tum & de *Rep. christiana* optime meritus fuerit, & immortale decus poſteris ſuis redditurus eſt. *Pientiſſimi* vero *Maximiliani*, æternæ memoriæ *Imperatoris*, exemplum imitabitur, qui cum ſubditis ſuis, *Auguſtanam confeſſionem* amplectentibus, *Religionis* libertatem conceſſiſſet, *christianiſſimo Regi* ex *Polonia* redeunti auctor fuit, ut pacem in *Regno Gallico* conſervaret, eumque graviter & ſapienter admonuit, ne *Gallos* ſubditos ſuos, noſtræ *Religioni* addictos, ſummo totius *Regni* periculo opprimere tentaret.

Hoc priori legationis capite cum perfunctus fuerit *Segurius* noſter, tum quod poſterius eſt, pręcipuam ablegationis ſuæ cauſam, ad *Auguſtiſſimos Auguſtanæ confeſſionis Electores* & *Principes, potentiſſimo Imperatori* ſignificabit, cujus ea ratio, ut quoniam in uno fidei articulo inter ejuſdem *confeſſionis* & *Helvetiæ* ſive

Galliæ Theologos judiciorum quędam eſt varietas & diſſimilitudo, & concordiæ *chriſtianæ* intereſt nequid inde gravius oriatur, verborum illam verius quam rerum diſcrepantiam tolli, idcirco ab *illuſtriſſimis Principibus* poſtulandum eſſe duximus, ut controverſias iſtas placida & modeſta diſceptatione dirimendas curarent, quod negotii genus *Cæſareæ Majeſtati* neque novum neque inſolens viſum iri ſperamus, præſertim ſi pro ſua prudentia duo conſideret. Primum quidem, aliquoties ea de re in *Germania* ipſa, *Magiſtratus* autoritate, inter primarios noſtræ *Religionis Theologos* habitos fuiſſe conventus. Alterum vero, quod *optimus & ſapientiſſimus Imperator Maximilianus, Cæſareæ Majeſtatis* nunquam ſatis laudatus pater, unicam illam diſſimilitudinis inter *Germanicas Eccleſias* notam, elui ſæpe numero optaverit, ac cum *Illuſtriſſimis Electoribus* egerit, pręſertim in *Comitiis* anni 1566. ut unica extaret inter homi-
nes

nes *Augustanæ religionis* professionis formula, quod ad pacem *Imperii* conservandam *prudentissimus Princeps* pertinere judicabat. Cum igitur ista legatione nihil omnino contineatur, quod non ad *Imperii* ornamentum spectet, & tuendam *Germaniæ* totiusque R*eip. christianæ* pacem, neque inutilem fore illam speramus, neque *Cæsareæ Majestati* ingratam, cum ea sit *optimi & potentissimi Imperatoris* prudentia & pietas, ut *christianorum* concordia nihil prius neque optabilius habeat.

Superest, ut eidem *invictissimo Cæsari* nostra iterum studia deferamus, ab eoque postulemus, ut illa de nobis sibi polliceatur observantiæ & amicitiæ officia, quæ a pectore candido & *Principe* syncero *Cæsareæque Majestati* addictissimo proficisci debeant. Quod quoniam re ipsa potius quam verbis testificari cupimus, nunquam aperiendæ optimæ voluntatis occasioni defuturi sumus.

III.

EPISTOLA LEGATI AD CÆSAREM.

Potentissime Imperator.

A *Serenissimo Rege Navarreno* ad varios *Principes orbis christiani* missus, potissimum vero ad *Cæsaream vestram Majestatem* ablegatus, decreveram primo quoque tempore ad ipsam contendere, tum ut Legationis munere perfungerer, tum etiam ut optimam *Serenissimi Navarreni Regis* voluntatem & studium erga *Majestatem vestram* declararem, ipsiusque officia & obsequia deferrem. Verum cum hoc statuissem, *Cæsaream vestram Majestatem* calumniis quorundam Legationi meæ

meæ iniquiorem factam esse intellexi, & ab eadem tum ad *Illustrissimum Ducem Bavaricum*, tum ad *Comitem Salmensem*, tum etiam ad alios scriptas esse litteras, quibus ut interciperer, & in custodiam conjicerer edicebatur. Addiderant etiam amici, insidias mihi multis in locis paratas esse, quod tamen *Serenissimi Regis Navarreni* adversariis, quorum ille multorum odio propter *Ecclesiæ* susceptam defensionem laborat, non *clementissimæ vestræ Maj.* adscribo. Imo ne literas quidem illas a *vestra Majestate* ipsius sponte exaratas arbitror, sed vel furtim ablatas, vel imposturis ac calumniis expressas. Accusationis ut audio tria potissimum fuere capita. Primum est, audio quod sine fide publica *Germanici Imperii* limites peregrinus homo ingrediar. Alterum, quod insalutata *Majestate vestra* cum *Germanicis Principibus* agam. Tertium, quod novis rebus in *Imperio* studeam. Quas accusationes ut facile dilui possunt, ita

parvi

parvi ponderis apud *Cæsaream vestram Majestatem* haberi velim. Nam quod ad primum attinet, *Legatorum* personas ipso jure Gentium sine fidei publicæ cautione, quæ Civilis est juris, sacras esse, & ab omni injuria immunes, norunt ii, *Invictissime Imperator*, qui fœciales norunt leges: quarum, uti cæterarum, cum *Cæsarea vestra Majestas* sit Conservatrix & acerrima vindex: Miror quid iis in mentem venerit, qui ipsius patientia & clementissimis auribus, ad prætexendam istam calumniam abusi sunt. Præterea cum nullis *Imperii* legibus caveri putem, ne cui peregrino, hoc quidem pacis tempore, sine fidei publicæ diplomate in *Germania* versari liceat, quis mirabitur eo me jure usum, præsertim *Legatum*, quod privato cuilibet competit.

Quod ad secundum calumniæ caput, fateor, *clementissime Cæsar*, a *Serenissimo Rege Navarreno* injunctum mihi fuisse, ut *Illustrissimos* *Ele-*

Electores Saxonicum & *Brandenburgicum* accederem, antequam ad *vestram Majestatem* irem. Prospiciebat enim *prudentissimus Rex* futurum quod accidit, ut Legatio illa in varias adversariorum reprehensiones incurreret. Itaque administrandæ illius primordium ab *Illustrissimis Electoribus* duci cupiebat, quorum testimonio de totius negotii synceritate *Cæsareæ Majestati*, si opus esset, idonee caveretur. Sed cum *Berlino Dresdam* peterem, primum mihi ex literis amicorum suspicio non levis facta est, malevolorum quorundam calumniis legationem meam obtrectari, meque apud *Cæsaream vestram Majestatem* in odium vocari, technas vero istas in *Gallia* ipsa ab eis confictas, quibus regnum illud florentissimum tot jam annos diripere ludus fuit. Cum igitur initio *Dresda* ad *Cæsaream vestram Majestatem* ire ex *Serenissimi Regis Navarreni* jussu decrevissem, consilium non sine summa animi

mo-

molestia mutare, & professionem istam in aliud tempus pertrahere coactus sum, tum quia justa fuit in itinere, ab hominibus male feriatis metuendi causa, tum etiam quia futurum sperabam, ut interea dum alibi Legationem meam administrarem, falsas illas criminationes tempus ipsum dilueret. Neque tamen de mutato itineris instituto & accusationibus istis, aut cum *Illustrissimo Electore Saxonico* quicquam egi, aut ad *Majestatem vestram* scribere volui, ne temere scriberem de quo mihi nondum plane liqueret.

Superest ultimum accusationis genus, quo novas res moliri in *Germania* dicor, quod quam a veritate sit alienum testes esse poterunt *Illustrissimi Electores* & *Principes Germaniæ*, quibuscum hactenus egi, testes *Civitates*, & si exterorum testimonia requiruntur, quænam illustriora & locupletiora edi possunt, quam *Serenissima Regina Angliæ*, & *potentissimi Daniæ Regis*, quibuscum

ex

eadem mandati formula mihi res fuit. Fateor quidem cum *Illustrißimo Electore Truchsesio* actum, sed eatenus tantum ne desereretur & ne qua illi injuria *Pontificis Romani tyrannide* fieret: quæ oratio quam honesta sit *Cæsarea vestra Majestatis*, judicio & exemplo comprobatur, cum ne ab illa quidem desertus fuerit *Illustrissimus Elector*, sed *Imperiali Edicto* cautum, ut utrimque ab armis discederetur, inde subsecuta sunt *Comitia Rotemburgica*.

Nam quod ad *Illustrissimum Cardinalem Bavaricum* attinet, tantum abest ut ad eum spectaverit *Serenissimus Rex Navarrenus*, aut in eum ista Legatione quicquam odii vel invidiæ vel etiam periculi conflare voluerit, ut quo tempore ab ipsius *Serenitate* ablegatus sum, *Illustrissimum Cardinalem Coloniensis* negotii partem esse, ne fama quidem acceperit, & ex die missionis meæ constat.

Fuit & in Legatione mea adhortatio

tatio ad *Illustrissimos Principes* ut sibi caverent a *Romani Pontificis* insidiis, & si quid ille moliretur, communibus consiliis & auxiliis rem agerent, denique ut pro *Germaniæ* salute & *Imperii* dignitate adversus illius fraudes vigilarent. Sed quid hoc ad turbas in *Germania* movendas, quarum falso insimulor? aut quid aptius ad pacem & concordiam in *Imperio* retinendam? videt *Cæsarea vestra Majestas*, *invictissime Cæsar*, quam falsa sint quæ de me dicuntur, quæ si nominis mei & personæ finibus circumscriberentur, neque *Serenissimus Rex Navarrenus* eisdem calumniis premeretur, fortasse pretermitti potuerant; sed quoniam *Serenissimi Regis* agitur existimatio, tacitus præterire non debui. Hoc unum de me dicam, neminem esse in tota *Gallia* nobilem, qui me suapte natura a rerum novarum studio alienior extet: neminem qui ad pacis illius & concordiæ rationes, qua singulari *Dei* beneficio in *Gallia* frui-

fruimur, vel induſtriæ vel laboris, plus quam ipſe feci contulerit. Qua quidem ex re eum fructum tuli, & quidem uberrimum, ut ſtudio pacis *chriſtiano Regi* commendatus fuerim, & ampliſſimo illius teſtimonio exornatus.

Utinam autem fieret, ut quemadmodum in pace noſtra conſtituenda, conatus meus optimus fæliciſſime ſucceſſit, ita etiam aliquid ad concordiam in *Germania* retinendam afferre poſſem. Nunc quoniam, ut initio dixi, Criminatorum arte factum eſſe intellexi, ut *Cæſarea veſtra Majeſtas* intercipi me juſſerit, cujus mandati geminum exemplum ab octiduo primum accepi, a *veſtra Majeſtate* veniam peto, *Invictiſſime Cæſar*, ſi quod ipſe facturus eram, alia ratione hoc quidem tempore facere cogor, ut ſcilicet Legationis meæ cauſas ſcriptis explicem, & *Sereniſſimi Regis Navarreni* litteras & mandata ad *Cæſaream veſtram Majeſtatem* mittam, quibus ab ea diligenter

genter perſpectis, futurum ſpero, ut nobis in *Germania* tuto per ipſius clementiam, quod ſupereſt temporis verſari liceat (ne ſcilicet ulla vis noſtro fœliciſſimo ſeculo & *Imperio* juri Gentium fiat) & *Majeſtas veſtra Sereniſſimo Regi Navarreno* benigne & commode reſpondeat, quod quidem reſponſum donec ab hoc miniſtro meo referatur, interea dum expecto, *Deum Opt. Max.* orabo, ut *Cæſaream veſtram Majeſtatem, Invictiſſime Cæſar*, ad nominis ſui gloriam & orbis *chriſtiani* tranquillitatem perpetuo incolumem ſervet.

RUDOLPHO II.

Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Regi Hungariæ, Bohemiæ, & Sclavoniæ, Archiduci Auſtriæ &c.

IV.

IV.

EPISTOLA HENRICI REGIS *ad Daniæ Regem.*

HENRICUS Dei gratia Navarrorum Rex, Princeps Bearniæ, Dux Vindocinensis, Belmontensis, Albretensis, Nemorensis,&c. Comes Toxensis, Armeniacus, Rhutenensis, Bigoronensis, Marlensis, Petragoriensis, &c. Vicecomes Lemoricensis, &c. Serenissimo Principi Domino FREDERICO Dei gratia Daniæ, Norvegiæ, Gotthorum, Vandalorumque Regi, salutem in Domino & fœlicitatem perpetuam.

Sere-

Serenissime Rex, Consanguinee & Frater charissime.

QUot & quantis bellorum procellis, his proxime superioribus annis in *Gallia* agitati fuerimus non puto *Serenitati vestræ* esse ignotum. Certe eorum miseriæ etiam remotissimas regiones, magno meo cum dolore pervaserant.

His fluctibus simul ac *Dei Opt. Max.* beneficio emersimus, subivit animum nostrum cogitatio non levis, visendi quotquot essent *Reges & Principes* in *Europa*, qui *purioris doctrinæ* propagandæ partes suscepissent, flagrabamus enim incredibili quodam desiderio, eorum vultum & ora intuendi, quos nobis & idem studium tuendæ veritatis, & eadem de *pura religione* sententia conjunxisset: Sperabamusque fore, ut eorum, quos digno nomine amabamus & admirabamur, conspectu & congressu confirmatiores & instructiores ad pera-

peragendum, quod nobis *Deus* imposuit in suorum defensione munus, reverteremur.

Fuit & alia ratio, quæ nos ad eam peregrinationem obeundam, etiam currentes excitaret. Dolebamus enim & vehementer angebamur, cum videremus eorum animos, quos mutuis operis in eodem *Christi* agro excolendo incumbere oportebat, exulcerari in dies, ac mutuis odiis inter se sęvire, ut potius de privatis inimicitiis exercendis, quam de promovenda vera pietatis doctrina cogitarent. Sed illud maxime fuit deplorandum, quod in tanto & tam diuturno incendio, multi in fovendo igne, pauci in extinguendo operam navarint egregiam.

Nam quid non moliti sunt *Pontificii*, ut incendium illud latius serperet? Quo in rerum discrimine enituit imprimis *Serenitatis vestræ* virtus eximia, & *zelus christiano Principe* dignissimus, cujus intercessione istæ flammæ aliquantum restinctæ fuere,

cęperuntq; multi viri boni & cordati sperare melius de *christiana reipubl. religione*. Neque dubitavit quisquam, si ad eam causam piam & sanctam, reliqui quoque *christiani Principes* suas cogitationes contulissent, brevi restitutum iri *Ecclesiæ* pacem & tranquillitatem. Et ut ad nos revertamur, sic existimabamus nos, cum tot *Reges* & *Principes* conveniremus, de quorum mirifico erga *religionem* studio vehementique ardore tam multa & præclara intellexissemus, effecturos, ut collatis communi consensu cum iis rationibus, distractos istorum animos componeremus, eamque simul viam iniremus, quæ paci & tranquillitati *Ecclesiæ* esset accommodatissima.

Quem laboris nostri fructum si reportassemus, non desperabamus postea fore, quin facile communes *Christi* hostes labefactaremus, & quin *Christus* cito de *Antichristo* triumpharet. Neque enim erat difficile, quos sejuncti tam vehementer pressi-

preſſimus, eoſdem cum animis & voluntatibus conjuncti eſſemus penitus opprimere.

Sed cum in eam cogitationem toti incumberemus, ſubortæ in dies novæ difficultates, nos a ſuſcepto itinere revocarunt, maximeque hoc tempore res tam publicæ quam privatæ valde renitentem detinent.

Quæ etiamſi aliquo modo rationem conſilii noſtri turbarint, non tamen effecerunt, ut voluntatem & ſpem illud conſequendi quod cupiebamus ulla in parte abjiceremus. Itaque cum cogitaremus, quomodo iſtius noſtræ deliberationis fructum perſequeremur, iſtud nobis conſilium expeditiſſimum viſum eſt, ſi cum nos præſentes ea quæ ſtatueramus exequi non poſſumus, aliquem virtute fide & apud nos auctoritate ſpectabilem & clarum virum, noſtro nomine legaremus, qui preſentiæ noſtræ vices ſuppleret.

Elegimus ergo generoſum multiſque nominibus nobis chariſſi-

mum *Domus nostræ Præfectum* dignissimum, & interioris Consilii moderatorem *Domin. a Segur Pardillan*, in cujus industria & fide totum istud onus reponeremus, eique mandavimus, ut ad *vestram Serenitatem* proficisceretur, ut cum *vestra Serenitate* de omnibus rebus ad communem *instauratarum Ecclesiarum* salutem pertinentibus accuratissime tractaret.

Neque enim aliunde tantundem auxilii speravimus ad promovendum tam pium opus, quam a *vestra Serenitate*, quæ nostris rebus, & præcipue isti negotio apud reliquos *Germaniæ Principes* multum momenti & autoritatis erit allatura, ut non ita pridem plane experti sumus, *vestræ Serenitatis* preces & intercessionem nostra causa factam, apud *Illustrissimum Principem Saxoniæ, sacri Imperii Electorem & Archi-Marescallum vestræ Serenitatis* fratrem charissimum multum valuisse.

Hunc ergo nobis charissimum

cum *vestra Serenitate* de tot tantisque rebus ad *reip. christiana* utilitatem spectantibus tractaturum, enixe oramus, ut eadem humanitate eademque fide audiat ac me ipsum si presentem intueretur. Explicabit ille *Serenitati vestra* copiosissime atque prolixissime, quæcunque in mandatis ei dedimus, nihilque pretermittet eorum, quæ a *Serenitate vestra* desiderari & expectari a nobis possent.

Quæ omnia quoniam ejus integræ fidei & incorrupto judicio permisimus, ut ea *Serenitati vestra* fusius & pro ut tantarum rerum dignitas postulat represenraret, non morabimur *Serenitatem vestram* longioribus literis, tantum enixissime a *Serenitate vestra* petimus, ut nos qua cæpit benevolentia prosequatur, & a nostra parte omnem amorem & observantiam exspectet, nosque ut *Serenitati vestra* devotissimos amplectatur, simulque *Deum Opt. Max.* precabimur, ut *Serenitatem*

vestram, quam diutissime *rebus christianis* afflictis ad earundem restaurationem conservet incolumem.

Datum *Neraci* ultima die mensis Julii Anno Domini 1583.

HENRICUS.

ALLIARIUS.
mandatu.

V.

Mandata a nobis HENRICO Dei gratia Rege Navarreno, Principe Bearniæ, &c. Dno. JACOBO SEGURIO PARDILIANO, Domui nostræ Præfecto, & interioris nostri Consilii Primario Consiliario tradita. Ex quorum formula cum Serenissimo Principe ac Domino Dno. FREDERICO Daniæ, Norwegiæ, Van-

Vandalorum & Gotthorum Rege: Holsatiæ, Stormariæ, & Marsiorum Duce: Comite Oldenburgii & Delmenhorstii &c. Fratre & Consanguineo nostro Charissimo, acturus est.

SIngularem illam amicitiam & observantiam testabitur, qua *Serenissimum Regem* pro summa ipsius pietate, & maximis erga *remp. christianam* meritis complectimur, magno quidem itineris & locorum intervallo ab eodem *Serenissimo Rege* distracti, sed arctiore illo benevolentiæ vinculo conjunctissimi, quod *Ecclesiæ Dei* propagandæ desiderium, idem & *religionis* studium inter nos conciliavit.

Serenitas ipsius laboribus ad dirimendas *Ecclesiarum* controversias, nostro rogatu superioribus annis facillime susceptis gratulabitur, quorum eventus is fuit, ut ejusmodi dis-

sidia *Theologorum* aliquot importunis & ambitiosis prӕjudiciis invecta, *sapientissimi Regis* prudentia & autoritate aliquantulum mitigata deferbuerint.

Cujus sane officii non modo *christianis* omnibus per-sane necessarii, sed etiam sempiternæ commendationi dignissimi, amplissimus fructus ad *Ecclesiam christianam* redire cœpit, longe vero cumulatior atque uberior rediturus est, si *Serenissimus Princeps* negotium istud promovere pergat, ex quo piorum omnium benevolentiam promeriturus sit, & immortalem nominis famam incorrupto posterum judicio consequuturus.

Exponet præterea *Segurius Noster*, quam multis nominibus *ipsius Majestati Ecclesiæ Gallicæ* devinctæ sint, propter Heroicum illud & vere Regium concordiæ in *Ecclesia Dei* sanciendæ institutum, eo præsertim tempore susceptum, quo plerique alii otio indulgent, & veluti sub

man-

mandragora stertunt, periculorum quæ *Ecclesiis* imminent ignari vel securi.

Rogabit igitur *ipsius Serenitatem* nomine nostro, ut præclarissimis cœptis optatum finem imponat, studiumque nostrum, industriam & autoritatem, ad hoc negotium conficiendum offerat, atque eas rei perficiendæ rationes & consilia, pro *Serenissimi Regis* prudentia, sibi aperiri postulabit, quibus ad exitum sedulo perduci possit.

Quoniam in hac causa, nostro quidem judicio, salus *Ecclesiarum* vertitur: qua re nihil neque gravius est, neque *regia cura & munere* dignius, narrabit idem *Segurius* constitutum fuisse apud nos, superiori anno *Daniam* ipsam, & *Angliam* atque adeo *Germaniam* perlustrare, tum ut *Reges* & *Principes* eodem *religionis* cultu nobis devinctos, præsertim vero *Serenissimum Principem Daniæ*, coram ipsi salutaremus, ac cum eo veterem amicitiam firmare-

mus, tum etiam ut de afflicto *Ecclesiæ* statu, & quærendis huic malo subsidiis ageremus.

Verum cum suborientes subinde in *Gallia* suspiciones huic profectioni adversarentur, & justas commorandi causas innecterent, se a nobis ablegatum significabit, ut in longinqua illa peregrinatione vices nostras obiret, & de contentionum nostrarum remediis, & constituendo *Ecclesiarum* unanimi consensu consilia communicaret.

At cum hujus Legationis administrandæ initium a *Serenissimo Rege Daniæ* fieri mandaverimus, partim ut ipsius autoritate *Illustrissimi Germaniæ Principes* permoveantur, partim etiam ut rei gerendæ rationes & momenta, quæ nobis idonea visa sunt *sapientissimo Regi* indicari, atque ipsius prudentia pro rerum & personarum ingenio & natura temperari possint, *Serenitatem ipsius* rogabit *Segurius noster*, ut eas, quæ subsequuntur rationes, *Illustrissimis*

Im-

Imperii Principibus exponendas apud se expendat, ac pro suo arbitrio immutet, emendet, ac deleat, denique ut omnia suo ductu, consilio, ac fœlicissimis auspiciis in hoc negotio fieri patiatur.

Rationes autem quibus hanc caussam probari posse speravimus, *serenissimi Regis* judicio examinandæ, hæ sunt. Experientia & ipso rerum usu doceri nos, quantopere necessaria sit, inter *Principes* & reliquos *Ordines*, eidem *religionis* cultui deditos, concordia, & quantum ex intestinis nostris de doctrina dissidiis periculi contrahatur *Ecclesiis*, unde & ipsis medio fere cursu mora injecta, & infirmis, ad veritatem properantibus, impingendi occasio præbita.

Hujus mali fontem atque adeò autores a nobis non inquiri, quod sine nostro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum satis superque constet, perspecta morbi natura, probos omnes viros vulneri reme-

dium expetere, quod & reperire facilius ſit, quam de procellarum iſtarum autoribus convenire.

Cuilibet *chriſtianæ fidei* rudimentis imbuto notum eſſe, noſtrum in præcipuis doctrinæ capitibus conſenſum, præſertim in gratuita peccatorum remiſſione, per *Chriſti* ſanguinem, *æterni Dei Filii*, & unici generis humani *Mediatoris*, omnibus in ipſum credentibus parta, unde fit ut iiſdem argumentorum & rationum telis, *Antichriſti Romani* præſtigias & errores oppugnemus: in ipſoque adeo cœnæ negotio (de quo præcipua diſceptatio eſt) de *Sacramenti* ſubſtantia conveniamus; cum nemo ſit, qui ſe verum *Corpus Chriſti* in *Euchariſtia* aſſumere diffiteatur, cum itaque nulla ſuperſit controverſia, niſi in ipſo percipiendi modo, & præſentiæ ratione, intolerandum plane videri, ut in querendi modo, nullum prorſus modum adhibeamus, omnem vero excedamus.

Pon-

Pontificios longe majus prudentiæ (ne dicam caritatis) edidisse signum, qui ante bellum ipsis indictum a *summo illo sanctæ memoriæ Luthero*, capitalibus inter se, ob eundem articulum, odiis flagrabant, adeo ut Scholastici interpretes, in duodecim ferme discrepantes, aut contrarias distraherentur sententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, ut nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in *Lombardi, Thomæ, Schoti, Durandi*, *Pici*, *Bonaventuræ* & aliorum monumentis videre est, qui cum mutuis ictibus antea se jugularent, artibus tandem & *Pontificum* autoritate, majori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compressa sunt ejusmodi dissidia, quod ut a nobis, vel hostium exemplo in controversia longe minus acerba fieret, tanto præsertim imminente ex dissensionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad hujus morbi medicinam *Ec-*

clesiam illam priscam nobis facem prætulisse, cum in similibus controversiis, ut secessionibus & schismatis occasionem præcideret, nihil prius haberet neque antiquius, *Synodorum* indictione, quæ scilicet, infinitis prope vulneribus remedium attulerunt.

Majorum igitur more, ab *Illustrissimis Imperii Principibus* postulare nos,&per omnia sacra obtestari, ut apud se, pro sua prudentia & propensissimo in *Dei* gloriam studio, deliberent, an *Ecclesiis* & *reip. christianæ* expediat, ad dijudicandas controversias nostras, universalem totius *Europæ instauratarum Ecclesiarum Synodum* haberi, ea scilicet lege, ut ad Conventum illum de controversis inter nos capitibus referatur, & possint accurata disceptatione,expensis omnium sententiis dirimi.

Quoniam autem hujus morbi medicinæ moram attulerunt procellæ illæ, quibus jactantur *Ecclesiæ* multis *Europæ* locis, partim bello petitæ,

petitæ, partim crucem expertæ, unde fit, ut laborantibus illis, tetrum hoc vulnus eorum importuna contentione, & ambitiosis contentionibus subinde recrudescat, quorum muneris erat ipsum ulcus adhibitis copiis mitigare, eo denique acerbitatis provecta sint partium studia, ut se præjudicatis sententiis mutuo damnaverint, & ab *Ecclesiæ communione* (suo quidem judicio) exturbarint.

Quod sęviendi genus ejusmodi videtur, ut præsentiori remedio egeat, neque sit ipsius in futuram *Synodum* differenda curatio: discriminis ipsius depellendi gratia, quod & verbum *Domini* ludibrio, & ipsius *Ecclesiam* direptioni exposuit, eosdem *illustrissimos Germaniæ Principes & Ordines* rogabit idem *Dominus Segurius*, ut tantisper dum paratur generalis illa *Synodus*, curationem istam in ditionibus suis sibi prævortendam suscipiant, quæ duplici ratione commodissime absolvi

possit;

poſſit; Prima quidem ſi omnium utriuſque profeſſionis *Eccleſiarum* controverſiæ ad *Synodum* dijudicandæ referantur, neque cuiquam privatim in aliarum fraudem & præjudicium quicquam prætereà ſtatuere liceat. Altera vero, ſi acerbis illis contentionibus, quibus hactenus & verbis inter ſe rixati ſunt *Theologi*, & ſcriptis, ſilentio tandem finis imponatur, & ejuſmodi diſputationibus exploſis, *christiana* charitas, & animorum fraterna conjunctio revocetur. Quod quidem *Sereniſſimus Rex Navarræ*, ab *Eccleſiis Gallicis* (quibus hac de re rogatus eſt) tam ſuo quam ipſarum nomine, bona fide præſtitum iri, reſpondet.

Non eſſe nos ea pervicacia, aut in tuendis opinionibus noſtris tenacitate, ut ſi *Concilium* ineatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus. Imo paratos eſſe omnium animos ad concordiam ineundam & ea dogmata ſuſcipienda, quæ *verbo Dei* conſentanea

Quod nos alii *Zwinglianos*, alii *Calvinistas*, plerique *Sacramentarios* vocant, perperam id quidem fieri, & nullo nostro merito, cum in *Christi* solius verba juraverimus, nullius sententiæ addicti, nisi quatenus *veteris & novi fœderis* doctrinæ congruit. Quod si ab ullius mortalis nomine adoptanda nobis esset appellatio, potiori jure utique *Lutheranos* vocatum iri, cujus sane nominis invidia, & odio cum laborarent *Galli*, infiniti prope per 60. annos cęsi, exusti, æquuleis admoti, & omni genere crudelitatis extorti, præclarum *christianæ doctrinæ*, quam a *Luthero* primum acceperant, testimonium ediderunt, & sanguine suo per *Dei* gratiam obsignarunt, ut vere a nobis asseri possit, plures propemodum *Martyres*, quos *Lutheranos* tunc temporis vocabant, *Galliam* edidisse, quam reliquæ omnes totius *Europæ* regiones.

Lutherum in *Eccl. Gall.* ut ipsarum in *Christo* parentum adgnosci, quod illius

Alterum argumentum est, quod nunquam istius dissensionis concordia serio quæsita est, quin *Dominus christiano* illi conatui benedixerit & ad optatum exitum suo *sancto Spiritu* perduxerit, ut ex colloquio *Lutheri* & *Zwinglii* anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparuit, quorum utroque inter *primarios Theologos Ecclesiasque Germanicas* & *Helveticas* concordia sancita est, & de *cœna* negotio consensus in formulam redactus, utriusque partis subscriptione comprobatam.

Nam quod ab illa pace & concordia *Ecclesiarum* postea discessum est, importuna quorundam acerbitate, mœrente (ut fertur) *Luthero* & bonis omnibus factum est: Quod ne denuo contingat, si conciliatio inter nos constituatur, *Principum* autoritate & *Magistratuum* officio præstari potest, cum sit eorum muneris, ejusmodi contentionibus, litem ex lite serentibus, obviam ire, unde ut plurimum, discordiæ faces oriuntur,

ædi-

ædificationis vero ad *Ecclesiam* nihil.

Atque his potissimum quidem rationibus cum *Illustrissimis Germaniæ Principibus Segurius* noster aget, quas tamen *serenissimo Regi Daniæ*, prius notas esse cupimus, & prudentissimo ipsius judicio subjici, cui si probabuntur, tum *Serenitatem* ipsius nostro nomine rogabit, ut hac de re cum iisdem *Principibus*, præsertim vero cum *Illustrissimo Electore Saxoniæ*, per *Legatos*, quam accuratissime poterit fieri, agat.

Quoniam autem frustra pacem domi quærimus, nisi externos illos communis adversarii, *Pontificis Romani* conatus, & apertas in perniciem nostram insidias, depellimus. Idcirco artes illas & nefarias *Antichristi* coitiones, *serenissimo Regi* optime notas, significabit, quibus veritatis lucem filius ille tenebrarum extinguere nititur.

Monebit igitur imprimis quotquot per *Hispaniam* & *Italiam* in suspicionem emendatæ religionis ve-

veniunt, eos omnes cruci subditos, *Antichristi Romani tyrannidem*, & inquisitionis auctoritatem & sevitiam experiri.

In *Gallia Concilii Tridentini* promulgationem, & inquisitionis constitutionem, a *Legato Pontificis*, adversus *Senatus* intercessionem, & *Ecclesia Gallicana* libertates, urgeri.

Jesuitarum artibus *Anglorum* animos ad defectionem sæpe numero impulsos, ut nisi faces illæ *sapientissima Regina* consilio extinctæ fuissent, clandestini illi coitus & nefariæ conjurationes, in ipsius caput & *Regni* perniciem erupturæ viderentur.

Quod ad *Scotos* attinet, iis artibus *serenissimi Regis* animus a *Pontificiis* sępenumero tentatus est, quibus nisi *Principis* optimi, & a teneris annis *christiana* pietate imbuti laudabiles indoles, & sapientissimæ *Anglia Regina* Consilia obstitissent, bellum inter *Angliam* & *Scotiam*, non sine summo *Ecclesiarum* utriusque regionis discrimine, & *Pontificis Rom.* voluptate, exarsurum fuerit. *Bel-*

Belgarum vero profligatæ res, & ab omni exterorum auxilio imparatissimæ, prementibus *Hispanorum* copiis & indies crescentibus impares, brevi collapsuræ videntur, certo scilicet florentissimarum *Ecclesiarum* *Pontificis* crudelitati subigendarum excidio.

In *Helvetia portenti istius Romani* largitionibus & versutia, & turbulentissimis *Jesuitarum* concionibus, incendia belli civilis propemodum hoc biennio excitata sunt, ut scilicet *Bernates emendatæ religionis* cultores, *Sabaudiæ Ducis*, in eos ex composito irrupturi, armis obruerentur.

Suecorum autem *Ecclesiæ* restitutis in *Suecia* ritibus *Pontificiis*, & *Jesuitis* intima *Regni* penetralia pervadentibus, in assiduo metu & dubitatione versantur, ne scilicet stellionum istorum fraudibus, aliquid tandem in perniciem suam statuatur. Quamquam hoc sibi de *sapientissimo Rege Suecorum* boni omnes polliceantur, ut brevi locustarum illarum

ver-

versutias sit perspecturus, & *Regni* sui finibus exacturus.

Moscovitarum vero *Religio* quantum a *ritibus Romanis* discrepet, omnibus perspectum est; At *Pontifex Rom.* dum se pacis arbitrum inter illos & *Polonum* gerit, hoc sibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, ut *Moscovitam* suæ tyrannidi & cultui subjiceret. Quod ab eo tandem impetratum ferunt. Hoc sane constat, hunc unicum scopum illi fuisse propositum.

Quod ad *Germaniam* ipsam spectat, in qua *potentissimorum Principum* cura & pietate, tutissima *Ecclesiis* præbita sunt hospitia, nihil non *Pontifex* molitus est, ut tranquillitatem illam & *Alcedonia* conturbaret, quod sane apertius est quam ut longiori explicatione indigeat.

In tractu vero *Colomensi*, eas nuper adversus *Illustrissimum Electorem* tragædias excitavit, quarum *Catastrophen*, nisi in suum caput depellatur, in totius *Germaniæ* periculum exituram sperat. Ex

Ex iis ſatis conſtat, nullam totius *orbis chriſtiani* regionem, cui verbum *Divinum* illuceat, intentatam relinqui, omneſque illius monſtri vires & conatus ad extinguendam *Evangelii* lucem conferri. Quod ut facilius fiat, *Principum* eorum qui ſuperſtitionem & idololatriam fovent, conventum ordinarium ſive *Senatum* per *Legatos Romæ* nuper conflavit, in quo pręſide ipſo *Pontifice* de firmanda & propaganda *tyrannide Romana*, delendiſque per *orbem chriſtianum Eccleſiis*, ſeria & quotidiana diſceptatione agitur.

Quæ omnia cum a nobis diuturna cogitatione verſarentur, *Sereniſſimum Daniæ Regem* nobis compellandum putavimus, ac per eundem *Dominum Segurium* adhortandum, ut (quod *reip. chriſtianæ* & totius *Eccleſiæ* amplificationi cedat) conjunctionem aliquam animorum & conſiliorum inter ſe & *ſereniſsimam Angliæ Reginam* ac *Illuſtriſsimos Germaniæ Principes* inſtitui curet, & ſi

res ita ferat, societatem auxiliorum, non ad inferendum quidem *Pontifici Romano* bellum, sed ad propulsandam collatis operis & communicatis consiliis injuriam, ne si separatim, ut hactenus, adversus tot inimicorum conjunctas *Pontificum* autoritate consultationes & conatus congrediamur, & sejunctis separatisque consiliis rem administremus, adversariorum illa mole, alii post alios obruamur, ac, dum singuli pugnamus, vincamur tandem universi.

Huic porro societati nos ipsi, nostrosque omnes adjuncturi sumus lubenter, ac fortunas omnes, vitamque adeo ipsam (si opus sit) in publicam utilitatem, ad propagandam *Dei* gloriam profusuri.

Porro, cum singulari quodam & immortali *Dei* beneficio, duo jam *Archiepiscopi Colonienses* ab illa *Antichristi Romani tyrannide* defecerint, & vindicatam a superstitionibus *Religionem* amplexi sint, qua re nihil ad amplificandam *Evangelii* lucem, vel

ad

ad proferendas *Ecclesiarum* fines, & ad *Imperii* statum, ad bonorum & vere piorum favorem componendum, propter eximiam *Electoratus* dignitatem, utilius optari potuit, temporis autem calamitate, & afflictis *Ecclesiæ* rebus factum est, ut *Illustrissimus Hermannus*, dignitate sua & fortunis exutus, in optima causa succubuerit.

Serenissimum Regem idem *dominus Segurius* hortabitur, ut de defendendo *Illustrissimo* P*rincipe Domino Truckfesio*, *Electorali* dignitate insigni, & Religionis vinculo sibi conjuncto, propter *Dei* nomen ab hostibus impetito, apud reliquos *Germaniæ* P*rincipes* & *Ordines* agat, ne scilicet hanc notam fœlicissimo suo seculo inuri patiantur, ut *Sacri Imperii Romani Electorem* P*ontifici Romano* ex dignitate sua exturbare, & miseris modis vexare liceat, alium vero sibi addictum pro arbitratu suo substituere.

Omnium porro animos ab eventu *Coloniensis* belli suspensos, cui si se-

cundus & ex piorum voto contigerit exitus, optima bonorum omnium animi exſpectatione erigentur. Sin & egregius ille *Princeps* diſtitutus, & *auguſtiſsima Septemviratus dignitas Pontificis Romani* ludibrio & libidini expoſita fuerit, ſane bonorum omnium animi concident, & adverſariorum creſcet audacia, cæteros vero tum *Electores* tum aliorum ordinum *Principes*, quibus nondum alluxit *veritas Evangelica*, a ſimili inſtituto infæliciſſimum exemplum abſterrebit. Neque fortaſſis unquam tam opportuna dabitur occaſio conſtituendę ex eorum votis & rationibus *reip.* quorum intereſt *emendatam religionem* quam tutiſſimo loco eſſe, ac *Pontificis* artes & autoritatem ab *Imperii* finibus procul arceri.

Quoniam autem norimus quanti ſit ponderis & momenti negotium illud *Colonienſe*, quamvis ab iſtius belli finibus & crepitu longo itineris intervallo diſſiti ſimus, & alioquin diuturno belli civilis *Gallici* labore

&

& expensis pæne exhausti, quamvis denique pacis publicę beneficio in otio & tranquillitate cum dignitate vitam degere possimus, tamen eidem *D. Segurio* gemmarum, pecuniarum, & supellectilis aureæ vim aliquã non adspernandam credidimus, quam scilicet in *Germaniam* adsportet, & aliquo tuto loco deponat, ut ex usu *Ecclesiarum*, pręsertim *Coloniensium*, ac prout occasio postulabit insumatur. Si modo *Serenißimus Rex Daniæ*, & *Illustrissimi Germaniæ Principes* fœdus illud probaverint, & in illius consortium venire voluerint, ac eorum unusquisque pro facultatibus suis, ad causam communem symbolum suum conferat. Quod si ab illis præstetur, non modo pecuniam illam & supellectilem, sed reliquas omnes facultates & fortunas nostras, atque adeo vitam ipsam, in salutem *Ecclesiarum* parati sumus impendere.

Ut autem earum rerum omnium, quæ hoc mandato continentur ra-

tiones matura deliberatione iniri possint, ab eodem *serenissimo Rege* postulamus, ut conventum aliquem haberi de communi ipsius,& *serenissimæ Angliæ Reginæ*, ac *Illustrissimorum Germaniæ Principum* consensu curet, & diem ab ipsis præscribi,quo omnium *Legati* convenire possint, cui etiam conventui per *Legatos* nostros minime defuturi sumus.

Porro hoc etiam *serenissimo Regi* nostro nomine significare cupimus, non frustra neque temere a nobis ineunte anno superiore susceptum fuisse *Angliæ, Daniæ*,& *Germaniæ* perlustrandę institutum,ut concordię & conjunctionis alicujus rationes quereremus, cum in utraque illa *Ecclesiarum* salutem & incolumitatem(quę nobis suprema lex esse debet) verti agnoscant omnes, absque illis vero servari non posse adversus *Antichristi* molitiones,nemo sanæ mentis putet. Utriusque negotii perficiendi spem magnam in *serenissimo Rege* constitutam esse,sine quo difficillime confici

fici poteſt. Rogare nos igitur & per *Dei* nomen obteſtari, ut ſolito more & pietate, *Eccleſiæ* laboranti pro ſuo virili opem ferat, & apud ſe cogitet noſtrum omnium *Principum* cauſam, qui *Pontificis* jugum excuſſimus, cum *Eccleſiarum* cauſa conjunctam eſſe. Iis enim in pace & concordia conſtitutis & contra vim exteram munitis, omnium etiam ſtatus in tuto futurus eſt, ſin & ſua diſcordia, & *Pontificum* inſidiis dilabentur, eadem etiam ruina ſingulorum ſtatus & fortunas obteret.

Datum *Nerati* 15. Julii. Anno 1583.

Sereniſſimus

HENRICUS

ALLIARIUS.

V I.

RESPONSUM REGIS DANIÆ nomine datum.

SErenissima Regia Dania & *Norvegia Majestas* Dominus noster clementissimus, tam ex *Serenissimi Navarrorum Regis* literis, fratris & consanguinei sui charissimi, ultima die mensis *Juli Neraci* scriptis, quam ex pereleganti & luculenta oratione *Serenitatis ipsius Legati*, nobilis & generosi viri propter virtutem imprimis sibi dilecti, *D. Jacobi Segurii* P*ardeliani, domus Regia prafecti, ac interioris Consilii moderatoris*, amanter ac plane fraterne intellexit. Quibus in negotiis ad gloriam *Dei*, & communem, tam *Ecclesia*, quam

quam communen *reip. Christiana* utilitatem pertinentibus, amplissimis mandatis instructus, quæ quidem a *Dominatione* ipsius scripto simul exhibita sunt, a *Serenitate ipsius* ad *Regiam ipsius Majestatem* jam missus sit & ablegatus.

In quibus certe rebus proponendis & explicandis, singularem ipsius dexeritatem, summa cum pietatis & prudentię laude conjunctam, clementer collaudat & commendat. Ac sicut coram recepit de iis omnibus, quantum hoc in conventu, per varias occupationes, & in tanta temporis brevitate jam fieri potuit, consilium habuit latiusque dedeliberavit.

Cumque intelligat *Dominum Legatum Regium* nonum jam mensem in ea legatione versari, ipsorumque negotiorum ea appareat ratio, ut sine incommodo publico, diuturniorem moram ferre non possint, ideo maluit *Regia Majestas ipsius* expedita & festinata declaratione hac

sua, pro temporis ratione, rebus ipsis jam potius consulere, quam eas pro earum pondere & magnitudine ad maturum consilium reservare ac referre.

Imprimis vero *Regia ipsius Majestas*, quod coram testata est, officiosam salutationem istam, ex *Regia ipsius Serenitatis* constanti amore & gratificandi studio profectam, ea, qua decet, humanitate acceptavit, ipsique hoc nomine non solum permagnas, sicuti par est, & habet & agit gratias, verum etiam a *Domino Legato* clementer petit & requirit benigne, ut in reditu suo, quem ipsi fœlicem precatur, *serenissimum Navarrorum Regem* fratrem & consanguineum suum charissimum, *Majestatis ipsius* verbis resalutet quam humanissime, cum testificatione suæ erga *Regiam ipsius serenitatem* constantissimæ optimæque voluntatis & benevolentiæ, quam quidem quacunque occasione idonea, re potius quam verbis declarare malit. Quan-

Quantum vero ad Legationis hujus materiam, ac ipſius propoſitionis capita pertinet. Agnoſcit certe *Regia ipſius Majeſtas* declarationem iſtam, ſerie narrationis, ex preſenti *Eccleſiæ* & *Reip.* per univerſam *Europam* ſat perturbato ſtatu, deducta, tam dextre adeoque prudenter inſtitutam eſſe, ut dubitet an *Serenitatis ipſius* fraternum candorem, in ſyncera communicatione potius, an vero eximiam ipſius prudentiam, & præclarum de *Rep. chriſtiana* bene merendi ſtudium, quod tamen utrumque facit, magis collaudare & commendare debeat. Ideoque facere non poteſt, quin *Regia ipſius Serenitati*, tam pro candida & familiari ipſa conſiliorum communicatione, quam pro tempeſtivis & plane ſaluberrimis commonefactionibus iſtis, quas ex pio & ſyncero *pectore regio* profectas eſſe agnoſcit amanter & fraterne agat gratias. Ex quibus certa conjectura deſumta facile intelligit *Regia ipſius Majeſtas*,

quanto cum suo honore & publico bono conjunctum fuisset, si *Regia ipsius Serenitas* sicut constituerat, tam *ipsius Majestatem* quam alios *christianos Principes* reformatam & veram *Religionem* profitentes, coram videre & salutare voluisset, ac profitetur aperte, nihil sibi optabilius aut jucundius accidere potuisse, quam si tantum & tam exoptatum hospitem in *Regno* suo coram videre, amantissime complecti, ac *Serenitatis ipsius* tamquam laudatissimi, deque *Ecclesia* & *Rep.* hoc seculo nostro præclare meriti *Regis* faciem intueri *Majestati ipsius* licuisset. In quo quidem & in condignis hospitalitatis & mutuæ benevolentiæ officiis præstandis, ita se erga *Serenitatem ipsius* fuisset exhibitura, ut ipsa boni & conjunctissimi fratris & consanguinei propensissimam voluntatem & optimam affectionem ex rebus ipsis perspicere potuisset.

Sicut autem *Serenitatis ipsius* piam & plane *Regiam* sollicitudinem, in con-

concordia in dissidiis Religionis foris constituenda *Regia ipsius Majestas* cum omnibus piis & bonis merito collaudat & celebrat, ita ipsius in pace & tranquillitate domi conservanda, eximium studium cum singulari erga patriam pietate & amore conjunctum, non minore commendatione dignum esse censet. Ideoque ipsi in utroque proposito, quorum alterum ad communem *Ecclesiæ*, alterum ad *Reip.* utilitatem, utrumque certe ad *Dei omnipotentis* gloriam, & multorum hominum salutem pertineat, a *Divina* ipsius benignitate, salutariorum consiliorum & actionum omnium faustum & fœlicem successum & eventum precatur.

Regia vero *ipsius Majestas*, si quid hac in parte, nempe ad *Ecclesiarum* dissensiones, hisce sat exulceratis temporibus, vel tollendas, vel saltem nonnihil mitigandas, ac ad concordiam constituendam, consilia & opera sua, tanta gratiarum

actione & congratulatione dignum, præstitisset, esset hoc imprimis ad *Gloriam Dei* ac deinceps ad *Regium* officium, quod in publico bono promovendo versari debet, referendum, nec in negotiis bene memorato *Domino Segurio* jam commissis, tam *Illustrißimo Principi* affini & fratri suo exoptatissimo *Domino Domino Augusto sacri Romani Imperii Marescallo & Electori Duci Saxoniæ, &c.* quam aliis cognatis & vicinis *Illustrißimis Principibus* commendandis promovendisque, neque officio suo, neque *Serenitatis ipsius* expectationi *Regia Majestas* fuisset defutura. Verum cum ab ipsorum *Illustritatibus*, qui pro celebratissima pietate sua & eximia prudentia, sine ulla *Majestatis ipsius* commendatione, sua sponte *Serenitati ipsius* satisfacere voluerunt, bonas ac dilucidas declarationes, cum ad *Majestatem ipsius* accederet comprehensas secum afferret. Ideo plane confidit *Serenitatem ipsius*, non

minus declarata hac *Majestatis suæ* in gratificando promtitudine amanter contentam fore, quam *Domini Legati* excusationem, quod post tot salutatos *Illustrissimos Germaniæ Principes*, *Majestatem* ipsius jam demum convenerit, non aliter quam benigne, & bonam omnino in partem acceptavit.

Regia ipsius Majestas cum omnibus piis hominibus, in doctrina cælesti recte institutis, facile perspicit, quanta cum gloria *Ecclesiæ* ac utilitate *reip. Christianæ* conjunctum foret, si tam *Germanicæ* quam aliorum *Regnorum* & *Provinciarum Ecclesiæ*, quæ *idolominiam Pontificiam* rejecerunt, non minus in articulo de *sacro-sancta Cœna Domini*, quam in aliis omnibus *reformatæ Religionis* capitulis omnes consentiant, & sicut in unum *Deum* credimus, eumque per ipsius *Filium* eundem *Mediatorem* nostrum omnes invocamus. Ita etiam *Romani Antichristi* aliorumque adversariorum horrendis consi-

liis

liis & machinationibus, ad opprimendam veritatem & ejus confessores tendentibus, communi consilio & viribus conjunctis omnes obviam ire ac procedere possint. Ideoque tanto magis dolendum est, salutarem istum & exoptatum consensum, variis partium dissentientium disputationibus hactenus turbatum, nec piorum *Principum* consilio, qui in eo plurimum laborarent, solidam concordiam sancitam esse.

In ea autem animorum distractione & opinionum varietate, *Regia ipsius Majestas* in eo pio studio allaboravit, ut in amplissimis *Regnis* & *Provinciis* suis eam *Religionis* formam tam in doctrina quam in ceremoniis constanter retineret & incorruptam servaret, quam *Serenissimus prædecessor*, *Divus ipsius parens*, nomine & re *Christianus Rex*, optime constitutam reliquit.

Neque ulli *Theologorum* licentiam indulget contra piam istam & receptam semel & publicatam *Eccle-*

clesiarum ordinationem, quicquam vel innovandi vel disputandi. Nec tamen permittit *Regia ipsius Majestas*, ut aliarum *Christianarum* gentium piæ *Ecclesiæ*, quæ jugum *Pontificium* excusserint, a suis *Theologis* convitiis ullis proscindantur, qua quidem ratione, *Deo* gubernationem *Regiam* fortunante, tantum proficit hactenus, ut veritatem ac pacem, in omnibus *Ecclesiis* & sæolis *Regnorum* & *Ducatuum* suorum fæliciter conservaverit. Ac omnino confidit ipsum divina benedictione sua, deinceps etiam *Majestati ipsius* adfuturum, & gubernationis ipsius ævum fortunaturum esse.

Qua quidem in congratulatione sua, quam ad *Deum* omnis fælicitatis autorem referendam censet, summis ac piis votis exoptat & precatur, ut, vel per piorum *Principum* recte de Religione sentientium *Christianam* communicationem, vel per *Synodum* generalem, *Pincipum* tamen autoritate ad eam rem interve-

veniente, ratio demum idonea ineatur ad controversiarum & disputationum istarum molem, eo præsertim in articulo e medio tollendam, & ad piam & solidam concordiam sanciendam.

De loco vero ac tempore vel ad conventum talem, vel ad *Synodum Theologorum* constituendo, cum *Regia ipsius Majestas* sine *Illustrissimorum ipsorum* expressa declaratione & consensu nihil omnino certi recipere jam vel debeat vel possit, ne in tanti momenti ac ipsius *Religionis* negotio, *Illustritatibus illorum* vel vota preripere, vel quicquam præscribere videatur. Ideo quod petivit *Serenitas ipsius*, non tantum *Illustrissimum* affinem fratrem & compatrem suum charissimum *Dominum Saxoniæ Ducem & Electorem*, verum etiam alios quosdam cognatos *Principes*, in *Romano Imperio Augustanam confessionem* profitentes, per literas suas de rebus istis propositis, quam primum amanter

&

& accurate certiores faciet, & de negotiis istis ad communem utilitatem spectantibus, consilia & sententias fraterne & amanter conferet. Nec dubitat quin *Regia ipsius Serenitas*, ex *Legati* sui relatione optime cognitura sit, quæ imprimis de *Synodo in Germania* instituenda, tam *Illustrissimi Saxoniæ Electoris*, quam aliorum *sacri* Rom. *Imperii Principum*, quas *Serenitas ipsius* per *Legatum* suum compellavit, sententia fuerit & amica declaratio.

Si quid vero Regia *ipsius Maiestas* ad communem *Ecclesiarum* ac *reip. Christianæ* utilitatem conferre ac præstare possit, in eo, nec Religio*nis*, nec communis tranquillitatis amantissimi Regis officio, nec *Serenitatis ipsius* tanquam consanguinei & fratris sui charissimi, fraterne expectationi, quantum omnino fieri poterit unquam est defutura. Cui valetudinem prosperam cum rerum & conciliorum omnium salutarium prosperum eventum fœlicissimis votis ex animo precatur. Ac

Ac sæpe memorato generoso ipsius *Legato*, cujus in negotiis istis tractandis, singularem fidem & dexteritatem summa cum pietate & prudentia conjunctam merito commendat, gratiam suam ac favorem *Regium* benigne promittit.

Signatum in Regia ipsius Majestatis Haberstebia, *idibus Martii, a nato communi Redemtore* Jesu *Christo Anno* 1584.

FREDERICUS
Rex.

VII.

VII.

LITERÆ DANIÆ REGIS AD HENRICUM III. *Galliæ Regem.*

FREDERICUS II. Dei gratia Daniæ, Norvegiæ, Gotthorum, Vandalorum Rex: Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Ditmarsiæ: Comes in Oldenburgh & Delmenhorst. Serenissimo & Christianissimo Principi Domino Henrico Gallorum Regi, Consanguineo & fratri nostro charissimo, salutem & continuum fælicitatis incrementum.

Sere-

Serenissime ac Christianissime Princeps, Consanguinee & Frater Charissime.

CUm *Serenissimus Princeps Dominus Henricus Rex Navarræ* Consanguineus & Amicus noster charissimus, per generosum *Legatum* suum nobis imprime dilectum *Jacobum Segurium Pardelianum*, pro mutuæ amicitiæ nostræ conjunctione, de rebus piis ac bonis, tam ad *reipubl. christianæ* quam ad *Ecclesiæ* tranquillitatem pertinentibus, communicationem familiarem nobiscum instituisset, pro summo nostro & plane fraterno erga *Regiam Serenitatem* vestram amore & studio, facere non potuimus, cum optimum virum *Segurium*, expedito cum responso jam dimitteremus, quin ipsi ad *Serenitatem vestram* traderemus literas: Quibus ipsi non tantum cum testificatione perpetuæ erga *Sereni-*

tatem

tatem vestram benevolentiæ nostræ, omnia fausta, fœlicia & salutaria precamur, verum etiam de pace & tranquillitate communi, post diuturnos bellorum civilium motus, in *florentissimo Galliæ Regno*, & fœliciter dudum restituta, & a *Serenitate vestra* contra perversissimas hominum malevolorum machinationes, constantia plane *Regia* hactenus conservata, ex animo gratulamur. Quantam enim animo lætitiam conceperimus, cum tam ex sermonibus ordinarii sui in *Aula* nostra *Legati*, nobis imprimis dilecti, *Caroli Danzæi*, quam ex relatione memorati *Segurii*, *Oratoris Navarreni* cognosceremus, *Serenitatem vestram Pacificatorii Edicti* semel approbati formulam, integra ac *Regia fide* retinere & conservare, verbis certe satis explicare non possumus.

Qua quidem constantia, *Rege*, præsertim *christianissimo*, digna, omnium *christianorum* & *Principum*

com-

comprobationem meretur. Neque etiam permovit, ne, quod *Illustrissimum Principem* affinem & fratrem nostrum charissimum, D. *Augustum*, *Ducem Saxoniæ*, S. R. I. *Archimareschallum & Electorem* optimo consilio motum per litteras nuper fecisse cognovimus, *Serenitatem vestram* iisdem verbis & rationibus, etiam atque etiam serio, & plane fraterne jam moneamus, rogemus & obtestemur: ne humanissimas suas aures R*egias*, perversis seditiosorum hominum clamoribus patefaciat ac præbeat: sed fideles subditos, qui rejecta *idololatria Pontificis* R*omani* puram & syncera m *religionem* amplectuntur, non minus quam alios bonos cives, hoc etiam nomine sibi benigne habeat commendatos, quod hactenus varias calamitates perpessi sint, ut D*eo* honorem suum, *Serenitati vestræ* obedientiam & subjectionem debitam præstarent. Quos quidem homines propter pietatem D*eo* & fidem

fidem *Serenitati Regiæ* vestræ, ac ipsi *Patriæ*, tempore difficillimo, præstitam, illi qui impiis *Papæ* abusibus nunc delectantur, ideo capitali odio prosequuntur & *Serenitati vestræ* invisos & exosos reddere conantur, ut ipsi interim tam suam quam *Romani Pontificis* causam pro arbitrio agere possint, ipsiusque autoritatem nonnihil imminutam, cum nova inclyti *Regni Gallici* perturbatione erigant & confirment.

Quæ certe horrenda & tragica plane consilia, nisi a *Serenitate vestra* caveantur, cum ipsius celebratissimæ existimationi *Regiæ* non leve detrimentum, ac tam in *Ecclesia Christi*, quam *rep.* civili, novas calamitates allatura esse videantur. Ideo minime dubitamus *Ser. vest.* pro singulari ac a divina benignitate sibi concessa prudentia, quod hactenus laudabiliter fecit, in pacificationis *edicto* deinceps etiam religiose servando, tam sui ipsius quam *Ecclesiæ & reipubl.* accuratam & condi-

gnam rationem habituram, ac diligenter provisuram esse, ne malitiosorum hominum perversis machinationibus, a proposito tam sancto ac plane *Regio* abducatur, ac ne *Pontificia tyrannis*, cum nobilissimæ ac potentissimæ nationis *Gallicæ* (quæ *reip. christianæ* antea præsidio & ornamento fuit) pernicie & interitu restauretur.

Quod quidem ut faciat *Serenitas vestra*, ac commonefactionem ac petitionem hanc nostram, ex candido ac syncero pectore, & bono ac fraterno erga *Serenitatem vestram* studio profectam, non in aliam quam bonam partem accipiat, ipsam pro mutua & avita nostra *regnorumque* nostrorum necessitudine & amicitia tam sedulo hortamur & rogamus, ut majore diligentia & contentione, rogare, hortari, suadere nihil possimus.

Erit hoc *Deo Opt. Max.* cujus gloria in eo versatur imprimis gratum, ipsi *Serenitati vestræ* honorificum

ficum, & tam inclyto *Galliæ regno* quam omnibus vicinis Provinciis maxime utile & ſalutare.

Quod ut fiat, & tam hæc quam alia *Serenitatis veſtræ* conſilia ſalutaria omnia, tam ipſi quam *reipubl. chriſtianæ* bene & fœliciter ſuccedant & eveniant ex animo optamus & precamur. *Deus* qui dat ſalutem Regibus, *Serenitatem veſtram* incolumem & florentem conſervet & tueatur quam diutiſſime.

Ex Regia noſtra *Haderslebiæ* ipſis idibus Martii. Anno. 1584.

VIII.

EPISTOLA DANIÆ REGIS AD HENRICUM *Navarræ Regem.*

FREDERICUS II. Dei gratia Daniæ, Norvegiæ, Gotthorum Vandalorumque Rex. Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ. Comes in Oldenburgh & Delmenhorst. Serenissimo Principi Dom. HENRICO, eadem gratia, Navarrorum Regi, Principi Bearniæ, Duci Vindocinensi, Belmontensi, Albretensi. Comiti Fo-

Foxensi, Armeniaci, Ruthensi, Burgeronensi, Martensi, Petrogoriensi. Vice-Comiti Lemovicensi, Fratri & Consanguineo nostro charissimo, salutem & continuum fœlicitatis incrementum.

Serenissime Princeps, Frater & Consanguinee noster Charissime.

VEnit ad nos proximis hisce diebus *Serenitatis vestræ Legatus* generosus imprimis nobis propter virtutem dilectus *D. Jacobus Segurius Pardelianus*, *Domus vestræ Regiæ Præfectus*, *&* *interioris Consilii Moderator*. Qui & litteras *Serenitatis vestræ* ultima die Julii anno proxime præterito *Neraci* scriptas nobis reddidit, & de negotiis a *Serenitate vestra* ipsi commissis, ad communem tam *Ecclesiæ*, quam

reip. christianæ utilitatem pertinentibus luculenter coram nobis peroravit.

Quibus certe in rebus cum proponendis, tum dextre explicandis ita versatus est, ut ipsius fidem & industriam summa cum pietate & prudentia conjunctam merito collaudemus & clementissime commendemus. Ad cujus quidem Legationis materiam ac propositionem ipsam, quam memoratus ipsius *Legatus* scriptam nobis exhibuit, cum sententiam & declarationem nostram, non quantum rerum istarum magnitudo requirebat, sed quantum & hujus temporis, & complurium occupationum nostrarum ratio jam ferebat, scripto itidem comprehensam iidem tradiderimus: supervacaneum esse existimamus, ea in literis hisce nostris ingeminare. Quibus amanter & fraterne a *Serenitate vestra* petimus & contendimus, ut optimo viro *Segurio nostro*, cum quo de negotiis publicis copiosius collocuti

cuti sumus, non tantum ea in ratione fidem plenariam adhibeat: verum etiam festinatam istam declarationem nostram, pro mutuæ amicitiæ nostræ necessitudine, dextre ac in bonam partem fraterne accipiat.

De nostra vero erga *Serenm. V.* benevolentia & constantissima voluntate ita velimus ut sentiat ac certo sibi de nobis polliceatur *Serenitas vestra*, nos ad omnia mutuæ humanitatis officia, quæ quidem a synceræ *religionis* ac tranquillitatis communis, ac *vestræ* itidem *Serenitatis* amantissimo *Principe* proficisci poterunt, semper fore paratissimos.

Cujus certe minime vulgarem erga nos amorem & singularem observantiam tam per literas, quam honorificam Legationem tanto studio nobis declaratam, ea qua decet humanitate fraterne amplectimur ac acceptamus, cupimusque vicissim *Serenitati vestræ* tam in mutua animorum conjunctione conservanda,

quam in bono publico promovendo, pari animi candore amanter respondere, cui valetudinem prosperam & rerum a consiliorum salutarium omnium fœlicem progressum & eventum, a *Deo Opt. Max.* omnis fœlicitatis autore ex animo vovemus & precamur.

Ex Regia nostra *Haderslebiana* ipsis idibus Martii. Anno 1584.

IX.

LEGATI NAVARRENI EPISTOLA *ad* DANIÆ REGEM.

Serenissime ac Potentissime REX.

CUm a *Serenissimo Rege Navarreno ad Serenitatem vestram & Illustrissimos Germaniæ Principes* ablega-

legatus fuerim, ut de rebus ad *Ecclesiæ* tranquillitatem & *reip. christianæ* utilitatem pertinentibus verba faciam, ac istius Legationis gratia *Bremam*, tribus abhinc circiter mensibus appulissem, decreveram ex *serenißimi Regis* mei mandato recta ad *Serenitatem vestram* contendere, partim ut ejusdem auspiciis & consiliis *Legatio* mea administraretur, partim etiam ut Regio ipsius responso, autoritate ac literis cæteri *Principes* permoverentur.

Verum cum ad istam profectionem accingerer tristis quidam repente, & a rebus nostris alienissimus de afflicta *Regiæ Serenitatis vestræ* valetudine rumor sparsus est, qui mihi per nonnullos dies *Bremæ* commorandi causam attulit. Interea cum ex *Hamburgo* & *Lubeca* ipsa aliisque finitimis locis eadem prope aut etiam tristiora afferrentur, commutato instituto ad *Illustrissimos Germaniæ Principes* me conferre coactus sum, apud quos etiam rumor ille

increbuerat, qui cum paulatim defervere cœperit, ac tandem non jam incertus, ſed prorſus confectus apparuerit, quod primum fuit, gratias *Omnipotenti* ingentes egi, pro ſalute & incolumitate *Serenitatis veſtræ Regiæ*, tum ad *Ipſam* repetito itinere proficiſcendum eſſe exiſtimavi, ac cum *Generoſo Domino Ramzovio*, quem in *regni* finibus reperii, in hoc oppidum adveni. Ubi cum e *Serenitatis veſtræ* voluntate factu rum me accepiſſem, ſi hic ſubſiſterem tantiſper dum ex mandato *veſtræ Serenitatis* ulterius progrederer, voluntati *Regiæ* lubentiſſime parui, & ad *Majeſtatem veſtram* hoc literarum dedi, tunc etiam *Serenitatis veſtræ* obteſtandæ cauſa, ut ad exponendam *veſtræ ipſius Serenitati* Legationis meæ cauſam, quam primum fieri poterit, admittar. Quod ſi impetrabo, & *ſereniſſimum Regem Navarrenum* ſummo beneficio *Serenitas veſtra* obſtrinxerit, & *Dei* ipſius cauſam promoverit, a cujus *Majeſtate*

state peto, ut *Serenitatem Regiam vestram* ad *Ecclesiæ* subsidium salvam & incolumem tueri velit.

Flensburgæ ultimo Februarii.
Anno 1584.

X.

Eidem Regi ab eodem.

Serenissime ac Potentissime
R E X.

NOnus agitur dies, ex quo *Regiæ vestræ Serenitatis* mandato in hac urbe commoratus sum. Ex quo vero Legatione apud varias *Nationes* fungor, nonus agitur propemodum mensis. Sed ut ante octo dies exponendæ meæ Legationis causa, ad *Majestatem vestram* admitti postulaverim, utque denuo postulem, neque longa mea peregrinatio fecit,

neque aliquot dierum in hac civitate mora. Sola me rei gravitas impulit, & oneris a me ſuſcepti, ita cum *Eccleſiæ Chriſt.* utilitate conjuncta ratio, ut niſi cauſam iſtam urgeam, mihi prodidiſſe videar.

Quamquam enim mihi illa cautio eſſe debeat, ne *Serenitati veſtræ* intempeſtiva feſtinatione moleſtiam adferam, tamen cum eximiam illam *Maj. veſtræ* clementiam & humanitatem inſpicio, hoc quicquid eſt culpæ mihi facile condonatum iri ſpero.

Cum igitur ea ſit *Eccleſiarum* totius *orbis chriſtiani* miſeranda conditio, quæ remedii dilationem ſine ſummo diſcrimine pati nequeat, de hoc autem apud *Regiam Serenitatem veſtram* acturus ſum, ab eadem rurſus peto, & demiſſa prece flagito, ut Legationis meæ cauſas & momenta narraturo, quamprimum humaniſſimas aures illas mihi benigne prębeat, quod ſi fecerit *Deum Opt. Max.* orabo, ut *Regiam Majeſtatem*

tem vestram ad *regni* sui salutem, & *Eccl.* totius defensionem incolumem diutissime servet.

Flensburgæ 8. Martii 1584.

XI.

RESPONSUM DANIÆ REGIS

Legato datum.

FREDERICUS II. Dei gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gotthorum Rex. Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, ac Dithmarsiæ. Comes in Oldenburgh & Delmenhorst, salutem cum singulari favore nostro Regio.

Nobilis & Generose, nobis imprimis dilecte.

REdditæ sunt nobis literæ *Syncevitatis vestra* hesterno die in urbe *Flensburga* scriptæ, in quibus sicut studium & fidem vestram in negotiis commissis, nobis quam primum proponendis & explicandis, cum condigna erga nos observantiæ nostræ comprobatione clementer perspicimus: Ita negotiorum complurium, quæ nobis in hoc *Ordinum conventu*, in jure subditis nostris & dicendo & administrando incumbunt, eam certe rationem esse exoptaremus, ut sine longiora mora *Synceritatem vestram* ad colloquium nostrum admittere, ipsique, quod obnixe petit, ad præsentis Legationis explicandas causas, aures nostras humanissimas præbere possimus.

Cum vero in adventu nostro, neque subditorum expectationi de-

esse

esse vel possimus vel debeamus; ideo minime dubitamus, sed plane confidimus, *Synceritatem vestram* & prioris temporis, & deinceps paucorum dierum moram, non moleste laturam, sed bonam in partem accepturam esse. Quod quidem ut faciat *Synceritas vestra* perclementer ab ea petimus & benigne requirimus, quam de sententia nostra in Legationis istius capitibus, tum proponendis tum explicandis, inter paucos dies clementer certiorem faciemus, cui gratiam & favorem nostram *Regiam* benigne deferimus.

Ex Regia nostra *Haderslebia* die Lunæ post Dominicam *invocavit*. 9. mensis Martii 1584.

FREDERICUS
Rex.

XII.

XII.

EPISTOLA LEGATI AD DANIÆ REGEM.

Serenissime ac Potentissime
REX.

QUod ex mandati formula mihi præscriptum fuerat, ut antequam ad *Illustrissimos Germaniæ Principes* accederem, obeundæ Legationis istius a *Regia Serenitate* vestra initium ducerem, id ipsum formulæ lectione *Majestati vestræ* satis exploratum erit, verum cum afflictæ & labefactatæ valetudinis vestræ rumor, huic instituto commutando causam attulerit, & me ad alios *Imperii proceres* insalutáta *Majestate vestra* præter voluntatem abripuerit, cul-

culpam illam antea meis literis deprecari, & si quid est criminis in rumorem illum amoliri coactus sum.

Quamquam autem administrandæ Legationis meæ, longe aptius & conducibilius fuisset, si munere meo apud *Majestatem vestram* perfunctus, ejusdemque literis & commendatione instructus ad alios porro me contulissem. Tamen qui humanas actiones pro suo arbitratu moderatur *Deus Opt. Max.* idem etiam effecit ut ista mea peregrinatione suscepti laboris & industriæ saltem aliquis fructus extiterit; Ea enim hactenus ab *Illustrissimis Germaniæ Principibus* responsa tuli, in quibus mira quidem negotii promovendi voluntas, pietatis vero significatio præcipua elucet.

Nam quod ad causæ ipsius æquitatem attinet, ita omnibus omnium votis & calculis comprobata est, ut non parvus inde *serenissimi Regis Navarreni* famæ, & apud bonos omnes

omnes comparatæ existimationis cumulus accesserit, sed hoc unum me angit, quod, cum *Illustrissimi Germaniæ Principes* causæ quidem isti faveant, oculos tamen omnes in *Illustrissimum Saxoniæ Electorem* conjiciant, ille vero sibi cum iis de tota re conferendum esse ducat, ne scilicet aliorum suffragia præripere videatur, verendum sit, ne dum illi sermones cudunt, inter eas moras aliquid turbæ suboriatur, quę totum negotium intervertat.

Prætereà dum *Synodi* convocatio, fœderisque inter tot disparatas *Principum* opiniones coitio, res sit per se operosa atque difficilis, & quę nisi suo loco & tempore perfici nequeat, justa sit etiam metuendi causa, ne quod in re *Coloniensi* accidit, idem etiam in causa graviori contingat, ut scilicet tantisper dum in fœderę & *Synodo* cogenda mora trahitur, *Pontificiorum* insidiis atque ausu nefario res *Ecclesiarum* labefactentur.

Neque enim ea est conditio rerum

rum tum in *Gallia*, tum in *Germania* ipsa, prҽsertim si *Belgicum* & *Coloniense* negotium spectemus, quæ sine maximo discrimine dilationem diutius ferre possit.

Quapropter cum omnia in præcipiti posita sunt, & in adhibendo remedio vel imprimis festinato sit opus, *Serenitatem vestram* pro muneris mei ratione obtestatam esse cupio, ut apud *illustrissimos Imperii Principes*, prҽsertim *Electores*, utrumque illud & fœderis & concilii negotium aliqua seria Legatione urgeat, partim autoritate sua, partim etiam gratia consensionem animorum, in hac re promovenda, inter ipsos conciliet, interea vero, tantisper dum illa fient, hoc etiam apud eosdem agat, ut ipsorum edictis caveatur ne diversæ *Eccl. Theologi*, vel alii, mutuis, ut hactenus, conviciis se lacerent, sed *christiana* pax & fraterna concordia, intra utriusque confessionis *Ecclesias* colatur, arctioris illius (quæ a nobis quæritur) prævia conjunctionis. Quo-

Quoniam *Pontifex Romanus* per *Hispaniam* & *Guisianos Scotiæ Regis* adgnatos, optimi illius *Principis* animum ad se traducere conatur, & adversus *serenissimam Angliæ Reginam* commovere, ut ad utriusque gentis exitium incendio illo sibi viam aperiat, cujus sane rei non obscura vidimus superiore anno vestigia, cum in *Anglia* Legatione ista fungeremur. Quamquam eam esse *serenissimi Scotiæ Regis* virtutem & prudentiam arbitramur, ut ejusmodi Sirenibus aures, neque se cuniculis illis oppugnari patiatur, pretium tamen operæ meæ facturum putavi, si a *Majestate vestra* summis precibus etiam contenderem, ut ad componendos hujusmodi motus, & ad molliendas *Principum* illorum iras, operam suam conferat.

Neque enim dubito quin gravissima *Regiæ vestræ Majestatis* commonefactione, *sereniss. Scotiæ Regis* animus in pervidenda *Pontificiorum* versutia plane Lynceus efficiatur,

tum

tum ipſe vero quam *potentiſſima Angliæ Regina* ad pacis rationes & ſtudia propenſiores evadant.

Atque hæc quidem ſunt, *ſereniſſime Princeps*, quæ apud *Majeſtatem veſtram* effari humanitatis veſtræ & virtutis eximiæ ſingularis conſideratio me compulit, cum iſtius *Regiæ* pietatis, quæ *Serenitatis veſtræ* prę- cipuum eſt decus, nullum inſignius monumentum edi poſſit, quam *Eccleſiæ* diſſidiis profligandis, & concordia inter *Principes chriſtianos* adverſus *Antichriſti Romani* dolos & verſutias retinenda.

Quod ut a cęteris *Principibus* itidem fiat, & ut *Regiæ* virtutis æmulatione excitentur, a ſummo illo artifice poſtulo qui *Regum* & *Principum* corda pro arbitrio ſuo fingit.

Hoc unum tantum addam, *ſereniſſime Rex*, dolere quidem mihi, quod *Majeſtate Comitiis* jure dicundo deſignatis, & graviſſimis aliis rebus occupata, huc advenerim, alieniſſimo ſcilicet tempore, & quo

Se-

Serenitatem vestram interpellari minime fas erat. Unde fit ut ne *Majestati vestræ* molestiæ quippiam afferatur, sed animo vacuo & ab aliis curis tuto legationis meæ causæ examinentur, libenter alio (si ita *Majestati vestræ* videatur) migraturus sum, atque ibi donec revocer *Serenitatis vestræ* mandato commoraturus.

XIII.

EIDEM REGI.

Serenissime & Potentissime REX.

CUm *Berlino* ad *Illustrissimum Electorem Saxonicum* irem, ex literis amicorum facta est mihi primum suspicio, Legationem meam quorundam calumniis apud *Imperatorem* in odium vocari; posteaquam vero à *Ma-*

a *Majestate vestra* humanissime dimissus *Hamburgum* veni, intellexi *Cæsaris* mandato ad *Illustrissimum Bavaricum Ducem* misso, cautum esse ut interciperer & in custodiam conjicerer.

Sed cum utroque isto nuncio non moverer, & *Legati* personam extra omnem discriminis aleam jure gentium positam esse judicarem, quod ipse non credebam, id ad *Serenitatem vestram*, ne qua mihi temeritatis nota attribueretur, scribere non volui; ab eo tempore ex multis aliis locis, unde mihi quam optime consultum esse cupiebatur, accepi, non in *Bavariam* tantum, sed & ad alios in eandem sententiam scriptum ab *Imperatore*, cujus mandati exemplum ad me etiam perlatum est.

Qua ex re occasionem cœpi ad *Majestatem vestram* hac de re scribendi, & ab ea postulandi, ut, quoniam in meo negotio & *Ecclesiarum* salus, & *serenissimi Regis Navarreni* existimatio agitur, consilium nobis

pro

pro sua prudentia impertiri velit, quanam ratione Legatio mea tuto perfici possit.

At quoniam *Serenitas vestra* inter *Germaniæ Principes* propter eximiam dignitatem, cum prudentiæ laude conjunctam, plurimum autoritatis obtinet, ab ea supplex peto, ut qua ratione commodissimum esse judicabit, eorum opera tuto in *Germania* versari liceat, tantisper dum *Legatione* mea perfunctus fuerim, in qua nihil continetur, quod vel *Imperio Germanico* fraudi esse possit, vel ad cujusquam privati injuriam spectet, ut ex *serenissimi Regis Navarreni* mandatis intelligere potuit *Serenitas vestra*, quam ut *Deus Opt. Max.* ad salutem publicam & *Ecclesiæ* propagationem sospitet etiam atque etiam opto.

Bremæ 8. Aprilis. 1584.

XIV.

RESPONSUM DANIÆ REGIS *ad* LEGATUM.

FREDERIUS II. Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gotthorum Rex. Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, ac Ditmarsiæ. Comes in Oldenburgh & Delmenhorst, Salutem cum favore nostro.

Generose nobis sincere ac imprimis dilecte.

INtelleximus ex literis *Synceritatis tuæ*, Legationem suam apud non-

nullos in *Imperio Romano* criminationibus odiosis ita prægavari, ut etiam de securitate sua dubitandum, & a nobis consilium, qua ratione eam tuto expedire possit, sibi petendum existimarit.

Tametsi nobis persuasum est animo, neminem *Germanorum Augustanæ* præsertim *confessionis*, *Principem* futurum, in cujus fide, *Legatus* jure gentium debita, & ditione, *Syceritas tua* non possit liquido acquiescere, & quandiu id ejusdem rationes ferent tuto commorari. Tamen si quid contra spem & opinionem a *Pontificiis furiis* adversi metuendum sibi judicaverit *Synceritas tua*, & in quamcunque vel *Regnis*, vel *Ducatibus* nostris subjectam ditionem divertere eidem placuerit, sciat & tutum & gratum in ea se receptum hospitiumque habiturum esse. Nam id ipsum & causæ, & fratri nostro *Regi Navarræ*, & *tuæ* quoq; *Synceritati* nos debere profitemur, cui

omnem

omnem gratiam *Regiam* clementer deferimus.

Datæ *Standerburgi.* 11. May. 1584.

FREDERICUS

Rex.

Generoso nobis Syncere & imprimis dilecto, & Serenissimi Regis Navarreni Legato, Domino Jacobo Segurio Pardiliano.

XV.

EPISTOLA LEGATI AD DANIÆ REGEM.

Serenissime & Potentissime Rex.

Literas accepi quibus *Serenessimus Rex Navarrenus* me ad se accersit, quod & amici suis literis fa-

ciunt, qui sperant meam operam magis nunc promoturam in *Galliis* quam in *Germania*. Constitui igitur, *Deo* juvante, eorum voluntati & desiderio parere. Sed id facere prius nolui quam *Serenissimam vestram Majestatem* de meo instituto certiorem facerem, ut *Serenissima vestra Majestatis* mandatis acceptis & voluntate cognita, fideliter ea exequar, nullaque omissa occasione *Serenissima Majestati vestra* inserviendi testatum faciam, *Serenissimam Majestatem vestram* sua benignitate & candore eximio, me totum sibi obstrinxisse. Neque vero committam unquam ut *Serenissimæ vestra Majestatis* pietas & virtus singularis, nec non honores & beneficia a *Ser. Maj. vestra* mihi exhibita a me oblivioni tradantur (præsertim vero quod *Ser. Maj. vestra* mihi sua benignitate obtulit viam tutam in suis *Regnis* & *Ducatibus*) sed quas in *Ser. Maj. vestra* animi dotes, & de *rep. Christiana* bene merendi studium perspexi, eas

omni-

omnibus in locis cum benefica *Ser. Maj. vestra* commendatione prædicaturus sum, vere enim dicere possum, me *Ser. Maj. vestram* reperisse Syncero studio exoptantem ut constituatur unio & conjunctio arctior inter *Ecclesias*, quæ excusso *jugo pontificio puriorem Evangelii Religionem* amplectuntur.

Quod si omnes *Germaniæ Principes* æque propensi ad eandem rem essent, majore sane cum lætitia & fructu publico uberiore ex *Germania* discedere possem.

Etsi autem tantis meis laboribus, periculis & sumptibus non contemnendis, nondum prorsus optatus eventus respondit, tamen cum noctes diesque mecum ipse magnitudinem necessitatemque istius rei (ut inter *Evangelicos* summa concordia existat, ne disjuncti consiliis & viribus, *Pontif. Rom.* & satellitum suorum furori & insatiabili libidini expositi simus) revolvo, dandam mihi operam esse existimo, ut quam primum ad

Regnum Navarrenum pervenero, curem atque impetrem, quo alius in *Germaniam* mittatur, qui negotium à me inceptum urgeat.

Vestram igitur *Ser. Maj.* submisse rogo, & propter *Dei* gloriam obtestor, ut hoc negotium sibi cordi & curæ esse sinat, ac proterea *Illustrissimos Electores* adhortetur ad officium suum faciendum, & ad hanc causam promovendam. Ex iis enim pendere videntur plerique *Principes* quos vidi, qui alioquin satis evidenter demonstrarent animum promtum, ad conjunctionem illam suscipiendam. Verum conversis oculis ad *Electores* exspectant, donec hi officio suo fungi incipiant. Interea vero mora nimis longa intercedit, ejectus *Elector Truchsesius* deseritur, amisso pene *Belgio* non succurritur, & nisi *Deus Opt. Max.* hoc malum avertisset, *Regnum Angliæ* jam pridem eundem exitum cum *Principe Auraniæ* experta & *Anglia* funditus deleta esset.

At

At vereor profecto ne *Germanos* atque etiam nos nimis sero pœniteat, se neglexisse ea, quæ a me proposita sunt. Propterea *Ser. Maj. vestram* iterum atq; iterum ea qua par est reverentia obsecro, ut operi huic *sua Maj. Regia* dignissimo, fortiter & constanter incumbat, prævideo enim eventum optatum non facile secuturum, nisi *Ser. Rex* magnanimo zelo gloriæ *Dei* flagrans manum huic operi admoveat, quod si fecerit *Ser. Maj. vestra*, nomen immortale sibi apud omnes posteros comparabit, quoniam vero ex scismate illo ac dissensionibus, quæ *Germanicas Ecclesias* hactenus distraxerunt, mala pene omnia ac calamitates *Ecclesiarum Evangelicarum* originem suam duxerunt, & nisi mature provideamus, futurum tandem est, ut hoc scisma penitus illas perdat, idcirco *Ser. Maj vestram* submisse rogo, ut egregiam navare operam pergat ad componenda perniciosa illa dissidia, quorum alio-

quin exitus infœlix & calamitosus erit.

Quandoquidem etiam verendum est, ne scintilla illa dissidii, quod jam exoritur inter *Duces Casimirum* & *Virtenbergicum*, propter tutelam junioris *Electoris Palatini*, & administrationem *Electoratus*, magni incendii flammam excitet, quam citra omnem dubitationem *Sathan*, *Antichristus Romanus*, eorumque asseclæ, magis ac magis accendere conabuntur, in perniciem *Germaniæ*, *Seren. Maj. vestræ* opus dignum erit, ut ita initia dissensionum inter istos duos *Principes* mature extinguantur, ut mutua animorum consensio inter eos coalescat.

Præterea quum *Regis Hispaniæ* & *Guisianorum* artibus quædam discordiæ excitantur inter *Reginam Angliæ* & *Scotorum Regem*, ex quibus exoriri tandem posset, non sine magno discrimine totius *Europæ*, gravissimum bellum, plurimum *orbis Christiani* interest, si *Ser. Maj.*

vestra

vestra in eam curam incumberet, ut ipsius adhortationibus componerentur ista quoque dissidia, quod jam factu facillimum esset.

Videmus porro *Belgium*, & infinitas propre *Ecclesias*, antea florentes, ad miserum & Calamitosum exitum corruere. Ejus quoque rei utinam sensus aliquis & commiseratio *Principes Germanicos* attingeret; sed imprimis deplorandum est & verendum, ne ad dedecus *Germaniæ* pertineat, quod *Turckesesius*, *Religionem Evangelicam* amplexus, nulla sibi auxilia persensit præstari, & quod *Electoratu* ejectus deseritur, laudem sane maximam mererentur *Evangelici Principes*, si ipsorum opera in integrum restitueretur.

De his omnibus non debui dissimulare sollicitudinem meam apud *Ser. Maj. vestram*, quam reverenter oro, ut ista æqui bonique consulat. Neque enim mirabitur *Ser. Maj. vestra*, quod in rebus ejusmodi ad omnes *Ecclesias Evangelicas*

pertinentibus, non possum non vehementer animo affici, si, quod haud dubie *Ser. Maj. vestra* facit, diligenter & accurate expendat & ponderet quanti hæc sint momenti quæ a me proponuntur, quibus nisi mature & cito remedium inveniatur, metuendum certe est, ne reliqua omnia cum his amittamus. Nam dubium non est vel tandem ultiturum esse *Deum Opt. Max.* incuriam & negligentiam multorum, qui cum potuerint afflictis rebus remedium afferre, facere tamen istud neglexerint.

Ego quidem pia affectione animi *Principes Protestantes* de istis moneo, non tam nostrarum, id est *Exterarum Ecclesiarum*, causa, quam propter *Ecclesiarum Germanicarum* salutem. Nam ipsæ quidem *Gallicanæ, Helvetica & Anglicæ* adeo inter se conjunctæ sunt, ut nunquam majori concordia & consensu unitæ fuerint. Confido etiam futurum, ut, *Deo* benedicente, & spes, quas nobis

bis ostendit, fortunante, in dies omnia ex votis piorum fœliciter in *Galliis* cedant, ut non tam forte aliorum auxilio nostris opus sit, quam nos prompti & cupidi sumus ad communem *Ecclesiarum* in *Europa* salutem, consilia & auxilia opesque nostras conferre. Quæ dicere sane cogor propter honorem imprimis & gloriam Dei, cui mea omnia debere intelligo, deinde vero propter munus mihi a *Ser. Reg. Navarreno* commissum, in quo fidem & diligentiam me *Serenissimæ ipsius pietati* debere judico.

Cæterum graviter doleo quod facultas jam mihi non detur *Ser. Maj. vestram* coram officiosissime salutandi, & mandata *Ser. Maj. vestræ* accipiendi, quę nihilominus fideliter & diligenter executurus sum, si quæ dignabitur *Ser. Maj. vestra* mihi committere.

Sed quo minus ad *Ser. Maj. vestram* proficiscerer, me impediit & adhuc impedit temporis concessi

angustia, cum jam integri anni & duorum mensium spatium effluxerit, ex quo in hac Legatione tractanda commorer. Quoniam vero fama sparsa est de defectione *Regis Navarreni* ad *Pontificiam Religionem*, & ea ad *Ser. Maj. vestram* fortasse pervolavit: Mitto ad *Ser. Maj. vestram* extractum epistolæ, scriptæ ex *Monte Passulo* ad *Ducem Casimirum*, ex qua cognoscet *Ser. Maj. vestra* hunc rumorem falsissimum esse, & confictum ab iis qui non faventes Legationis istius negotio, suis mendaciis laudatam existimationem *Ser. Regis* lædere conantur.

Intelliget igitur *Ser. Maj. vestra*, tantum abesse ut mutarit *Regligionem Evangelicam Rex Navarrenus*, ut Zelus ipsius in tuenda & conservanda *puriore Religione*, & constans ac syncera pietas ejus, magis magisque conspiciendam se prębeat. Et tamen juvat atque delectat nonnullos magni *Ordinis* per *Germaniam* viros, sinistris illis rumoribus con-

fictis

factis fidem adhuc tribuere, & tum suas tum aliorum aures fabellis hujúsmodi pascere. Sicut non dubito *Ser. Maj. vestram*, in aliquibus hoc animadvertere potuisse; Quod minime æquum erat tam facile opinionem sinistram de optimo & piissimo *Rege* admittere.

Quoniam vero certò scio *Ser. Maj. vestram* a *Rege Navarreno* plurimum amari & officiose coli, ejusque in *Ser. Maj. vestram* affectionem esse optimam, summopere a *Majestate vestra* contendo, ut mutuo amore ipsum complectatur, ejusque existimationem & honorem, ubi opus est, tueatur & defendat.

Postremo iterum atque iterum rogo & obtestor *Ser. Maj. vestram*, ut curæ sibi diligenter esse sinat salutem *Ecclesiarum Dei*, faveatque ipsarum conjunctioni, denique ut me quoque dignetur *Serenissima Majestas vestra*, inter eos habere, qui ipsi sunt addictissimi: Ego enim

paratus sum quæcunque habeo vitamque ipsam pro *Serenissima Majestate vestra* profundere. Interea &c.

Datum *Brima*. 28. Augusti. 1584.

In eand. fere sententiam scriptum est ad *Electores* & *Ducem Julium Brunsvicensem.*
Landgravium Wilhelmum.
Administratorem Magdeburgensem.
Ducem Prussiæ.
Ducem Pomeraniæ.
Ducem Holsatiæ.
Ducem Wilhelmum Luneburgensem.
Principem Anhaltinum.
Archiepiscopum Bremensem.
Episcopum Halberstadiensem.
Ducem Meckelburgensem.

XVI.

RESPONSORIA HENRICI JULII

Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis ad Legatum.

HENRICUS JULIUS Dei Gratia Episcopus Halberstadiensis, Administrator Mindensis, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, &c.

Generose Domine.

PRæclare in eo tuo functus es munere, nobisque fecisti gratissimum, quod tuæ Legationis statum nobis declaraveris. Te enim non præterit, quanta animi propensione, erga Legationem hanc, tam piam &

& vere Augustam ab initio fuerimus: Sed vides quæ rapiant hominum voluntates iniqua tempora. Dolemus itaque, ac dolemus quidem ex animo, adeo illam infeliciter procedere, & te infecta re ex *Germania* discedere, neque satis intelligimus qua providentia, aut fato potius iniquo, illius fructu *Resp. Christiana* orbetur.

Laudavimus ab initio, neque laudare desistimus *Serenissimi Regis Navarreni* institutum, & pro virili contendemus istud omni tempore omni loco promovere. Sed cum arduum istud sit negotium, & Herculei propemodum laboris, ac *Religionis* nomine plures in dies pluresque in *Germania* sectæ, Hæreses & animorum dissensiones suppullulent, *Imperator* etiam noster se totum *Catholicæ* (quam vocant) *Religioni* devoverit, re ipsa experimur, proh dolor! Propter rei difficultatem, non tutum esse negotium istud, alioquin pium & Christianum, hoc tempore urgere.

re. Nos præsertim cum *Illustrissimi Electoris Saxoniæ* filia matrimonio (quod Deus fortunet) satis superque declaramus, quantopere *Germanicis* simul & *Gallicis Ecclesiis* cupiamus opitulari. Neque existimamus *serrenissimum Regem Navarræ* defugere, quo simus in Religionem animo, nobisque persuasissimum habemus, *Serenitatem suam* in fidei nostrę confessione acquieturam.

Neque apud nos purgatione Apostasiæ, & a vera *Religione* ad idololatricam superstitionem defectionis, qua malevoli *suam Ser.* onerarant, opus erat, qui sinistris suspicionibus non tam facile aurem præbemus, cum *serenissimi Regis* vita ac morum sanctitas, heroicæ virtutes, eruditio ac singularis *Dei* timor, ita nobis cognita essent, ut leves hominum quorundam obtrectationes & calumniæ, ea non tam facile ex animo nostro eluere possunt, neque de tuo *Rege* desinemus unquam aut loqui aut sentire honorifice, quem verbis

etiam

etiam & re tuebimur. Id *Regi* tuo ex nobis, cum omni Officiorum oblatione, summo affectu denunciari cupimus, eique omnibus votis optamus, ut *Ecclesiæ* & *reip. Christianæ* commodum, indies magis magisque crescat.

Istud te considerare cupimus, dum tempus in hac Legatione teritur, qui *Germanorum* sint, cum exteris præsertim nationibus & *Principibus*, in confœderationibus ineundis animi, quam graves deliberationes, quam sese difficiles præbeant, qua etiam constantia semel inita fœdera tueantur; quam rem & vobis probari vereque heroicam ac *Germanicam* esse judicaturos non ambigimus.

Hortamur te itaque ut obfirmato in re ardua & legitima sis animo, & cum res tantillo temporis spatio, quod ingens tibi videtur, confici non possit, probamus consilium, quod alteri te absente, tam honestam Provinciam delegendam censes.

Nos

Nos interea nostro, in *Rege* tuo honorando, omnique officiorum genere prosequendo, nunquam deerimus officio, illique hoc tempore precamur, ut quam *Deus* ad amplissimum *Regnum* viam demonstrat, foelicem illa & *christianæ reipublicæ* utilem successum sanctificatur, idem *Numen* obtestamur, ut vires, promtæ suæ *serenitatis* voluntati, sapientiam & magnanimitatem sufficiat, quibus magnam illam molem (concordiam dico inter *Evangelicos Germaniæ Principes*) sustineat. Te vero omni benevolentia ac amore prosequimur.

Hæc interim obiter, benevola tamen, expostulatione utemur, quod nobis insalutatis per hanc nostram ditionem, atque adeo juxta *Arcis* nostræ mœnia ad tuos contenderis.

Feceris operæ pretium, si nos *serenissimo Regi Navarræ*, quo affectu

fectu & studio cupimus commendaveris.

Datæ ex arce nostra *Petersbagen*. 7. Septembris. 1584.

HENRICUS JULIUS

MANU S.

XVII.

RESPONSORIA DUCIS HOLSATIÆ AD HENRICUM *Navarræ Regem.*

Serenissime & Potentissime Rex, Domine & Consanguinee Colende.

LIteras Regiæ vestræ serenitatis *Neraci pridie Calendas Augusti* supe-

superioris anni 1583. ad nos scriptas, nobilis vestræ *Regiæ Ser. Legatus Dominus Jacobus Segurius Domus vestræ Præfectus & secreti Consilii primus*, una cum exemplo mandatorum *vestræ* Reg. *Ser.* ad nos itinere suo ad Regis *Daniæ Serenitatem Dominum* ac patruelem nostrum, adjunctis literis suis, curavit perferendas.

Quæ omnia a nobis reverenter atque amanter suscepta ac probe intellecta, Illustre ac præclarum studii *vestræ* Regiæ *serenitatis*, in conciliandis *Christianæ* Religionis controversiis, firmatoque pacifico *Ecclesiarum* statu, testimonium nobis attulerunt. Ac imprimis quod Regia *vestra Serenitas*, gravissumtu, maximis laboribus, & periculis non exiguis, multisque aliis rerum suarum dispendiis, ex *Regno* & *Provinciis* suis, iter in *Germaniam*, ad *Principes Augustanæ Cofessioni* addictos, eas ob causas ante hac in animum induxerit.

Quæ

Quæ certe profectio, ut successu non caruisset, ita multis rationibus optanda fuerat, quod si etiam ea fœlicitas atque is honos nobis obtigisset, ut tantum Hospitem in nostra domo conspicere, cumque eo coram colloqui, atque familiaritatem & amicitiam contrahere licuisset, nihil certe optatius, nihilque magis gratum nobis fuisset, magnæque nostræ beatitudinis parti hoc acceptum relaturi fuissemus.

Quod vero *vestra Regia serenitas* ceu ex ipso cursu retracta, *Deoque* ita volente domi retenta fuerit, id *Ecclesiarum* atque *Patriæ*, publicæ tranquillitati, honori, emolumento atque usui fuisse, *Deoque* ob id ingentes gratias agendas, res ipsæ procul dubio fidem fecerunt. Quo fit ut æquiore animo feramus, *vestram Regiam serenitatem* institutæ profectionis voti compotem non factam, cujus conspectus colloquiumque de *Ecclesiæ* & *reip.* statu, nobis multis ex causis fuerant exoptanda.

Ut autem ad mandata *vestræ Serenitatis* Regiæ, quæ *Legato* suo ad nos perferenda dedit, deveniamus: Gratissima fuit nobis *vestræ Serenitatis* Regiæ humanissima salutatio & gratulatio tranquillitatis, qua *Deo Opt. Max.* volente in *Ecclesia* & *Rep.* nostra adhuc fruimur. Optamus vicissim atque ardentibus votis precamur, ut & vestræ *Ecclesiæ* sint in doctrina concordes, & Resp. propter harum discordiam, ita ut per multos annos contigit, intestinis bellis non concutiatur.

Cui malo ut conveniens remedium adhiberi possit, merito omnes *Christiani orbis* Reges & *Principes* totis viribus anniti par est.

Quo præclaro studio cum *vestram* Regiam *Serenitatem* teneri, mandata sua planum faciant atque testentur, nemo est qui *vestræ* Regiæ *serenitatis* zelum, pietatis eximium & præclarum de *Ecclesiis* & *rep.* benemerendi studium, non sit agniturus, plurimaque prædicaturus laude,

de, ob quod etiam nomen honorque *vestra Serenitatis Regia* semper sine interitu manebunt.

Summam vero mandatorum *vestra Regia Serenitatis* eo dirigi intelligimus, quod *vestra Regia Ser.* petit, ut una cum aliis *purioris Doctrina Principibus* in id incumbamus, quo certum firmumque fœdus inter *Dania Regem* & *Anglia Reginam* R*eligionis* ergo sanciatur. Deinde ut *Synodus* in *Germania* indicetur, in qua dissidia *Ecclesiarum*, *Gallica*, *Helvetica* & *Germanica*, quæ puram doctrinam profitentur, ad concordiam reduci, atque firma pax & tranquillitas, contra adversariorum vires atque impetum stabiliri possit.

Consilium sane prudentissimum, & non minus utile, quam, omnibus circumstantiis probe & ad amussim examinatis, necessarium. Res vero ardua, quæ deliberatione matura omnium *Ordinum Augustana Confessionis* opus habet, ut recte riteque singula ineantur & constituantur,

antur, nequid præpropere & immature agatur, neve quid moveatur alias quieturum, & quæ præterea tantæ molis negotio ſint accommodata atque neceſſaria; quibus conſultationibus *Sacri* I*mperii Electores* purioris doctrinæ autores eſſe oportet, cum apud hos convocandi ordines major ſit dignitas, tum juris & Conſtitutionum Imperii adjuncta prærogativa illis ſuffragetur.

Hos cum *Ser. Regia Maj. veſtra* jam per *Legatum* ſuum recte convenerit, ipſique egregiam ſuę promtiſſimæ voluntatis ſpem illi fecerint, officio non defuturos omnino nobis habemus perſuaſum, idque tam mature ne *Eccleſia* vel *Reſp.* aliquid patiantur detrimenti. Imprimis vero *Deus* Opt. *Max.* invocandus eſt atque exorandus, ut hos *veſtra* R*egia Ser.* præclaros conatus piaque ſtudia ſua Divina benignitate ſecundet, foveat, atque ad exoptatum finem perducat. *Ordines Imperii* cœptis *veſtra* R*egia Ser.* ut confidimus bene

volent, nosque, rebus in deliberationem deductis probe perpensis & constitutis, pro virili nihil sumus intermissuri, quod nos honori Divino, animarum saluti, ac tranquillitati *Ecclesiæ* atque *Reip.* debemus.

In omnibus etiam quæ *vestra Regia Ser.* grata acceptaque esse possunt, officiosa nostra obsequia *vestra Regiæ Ser.* officiose deferimus. *Vestram Reg. Serenitatem Deus* ad ista rerum initia fœliciter exequenda & perficienda servet incolumem.

Ex Arce Nostra Gottorpio 3. Idus Martii 1584.

Addictissimus & Studiosissimus.

Vestræ Regiæ Serenitatis.

ADOLPHUS Dei gratia Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, Ditmarsiæ. Comes Oldenburgi & Delmenhorsti.

XVIII.

RESPONSUM.

Sereniſſimi Regis Navarreni, &c. Legato, Generoſo ac magnifico viro, Domino Jacobo Pardeliano, Domus Regiæ Præfecto, &c. ab Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino Johanne Georgio, Marchione Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electore, in Boruſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum & Vandalorum, nec non in Sileſia Croſni Duce, Burgravio Norenburgenſi & Principe Rugiæ, ad Negotia propoſita datum.

PErgrata *Illustrissima Celsitudini suæ* fuit illa *Regiæ Ser. vestræ* per *Legatum* facta salutatio, sed magis jucundus *Illustrissimæ Celsitudini* fuisset adspectus & conversatio propria *Regiæ Ser. suæ*, quam, ut ex oratione *Legati Illustrissima sua Celsitudo* intellexit, Rex per iter ad *Illustrissimam Celsitudinem* superiori anno destinaverat. Ea enim *Illustrissimæ Celsitudinis suæ* observantia in amicos, ut erga eos conversationis frequentissimę studio quasi perpetuo ardeat.

Sed quoniam *Regia sua Ser.* hoc visendi munus consilio & ratione gravissima distulit, ipsum illud post hac quam primum per occasionem licebit observari, *Illustrissima Celsitudo* maximopere exoptat, ut ita amicorum animi, locorum distantia remotissimi, aliquando conversatione præsenti dulcissima perfrui, amicitæque vinculo eo arctius stabiliri & confirmari queant.

Ad causam vero principalem, partim

tim literis R*egiis* contentam, partim vero per *Dominum Legatum Segurium* ſcripto propoſitam, quod attinet, animadvertit *ſua Celſitudo*, non ſine ſingulari animi delectatione, R*egiam Serenitatem* maximo amore & ſtudio, erga *veram* R*eligionem* noſtrarum *Eccleſiarum* ardere, totiſque viribus eo niti, ut omnium noſtrarum *Eccleſiarum* unanimis ſtabiliatur conſenſus & concordia. Quod ſtudium cum præcipue ad gloriam nominis Divini, & ſalutem animarum omnium, qui in R*eformatis Eccleſiis* veritatem verbi profitentur, tendat, & *Dei* & hominum remunerationem demerebitur, & *Illuſtriſsimam ſuam Celſitudinem* erga R*egiam ſuam Serenitatem* ad quævis gratitudinis officia & ſtudia devincit. Animadvertit autem *Illuſtriſsima Celſitudo*, totius principalis negotii ſcopum potiſſimum duobus capitibus contineri.

Primum enim quæritur cum *Eccleſia vera noſtra* R*eligionis* in variis

regionibus sint dispersæ, & tum ex insidiis *Pontificiis*, tum per controversias & discordias intestinas, jam nunc fere undique, & quidem maxime periclitentur, quæ ratio inveniri possit, ut revelata nobis divini verbi veritas ab istis dissensionibus & insidiarum procellis eximi, *Electori* quoque *Coloniensi Turckseßio* jam nunc fere propter agnitam veritatem bello suppresso subveniri, & pax & concordia in nostris Ecclesiis restitui & stabiliri possit.

In secundo Capite *Regia sua Majestas*, de salute publica *Patria* solicitatur, rationes & consilium quærens qualiter turbæ & simultates *Gallicæ*, propter *Religionis* diversitatem potissimum exortæ, sopiri, & antiqua pax & fides in toto *Regno* recolligi & stabiliri possit.

Ad primum quod attinet, experientia, proh Deum! satis abunde testatur, naviculam *Christi*, in nostris *Ecclesiis*, procellis hostium, & intestinis quoque insectationibus undi-

undique periclitari, nec esse aliquam de *Regionibus* & ditionibus commemoratis, quæ hac in re de sua non conqueratur miseria. Sanguis enim innumberabilium nostrorum *Martyrum* testatur, quid hactenus in *Gallia*, *Anglia*, *Scotia*, *Suetia*, in *Belgiis*, *Helvetia* & aliis locis attentarit & perfecerit, tum *Pontificia* & *Jesuitarum* audacia, tum istorum affeclarum insidiæ & crudelitas.

Qualiter autem huic malo sucurri possit, res divini potius quam humani consilii esse videtur. Nec *Illustrissima sua Celsitudo* contra hanc tyrannidem hostium aliud commodius remedium invenire potest, quam ut exemplo *Apostolorum*, omnes in vera *Religione* nostra sub *Christi* vexillo militantes, inter sese corde constanti unanimes sint, & sub cruce communibus continuis precibus *Deum* invocent, ut ipse ad sui nominis propagationem *Ecclesiæ* suæ & piorum tutor & defensor ex-

 istere,

iſtere, hoſteſque in furore ſuo conturbare & confringere, pacem quoque & tranquillitatem publicam in omnibus regionibus & Provinciis ſtabilire & conſervare velit.

Hanc *Illuſtriſsima ſua Celſitudo*, fortiorem turrim & propugnaculum noſtris *Eccleſiis* eſſe, quam confœderationes & bellorum excitationes perniciosas exiſtimat.

Nos qui in *Germania* vivimus, quamvis ex inteſtinis diſcordiis *Theologorum* hactenus pericula & damna *Eccleſiarum* noſtrarum non exigua ſuſtinuerimus, maximam tamen partem controverſiarum *Theologicarum*, ſingulari *Dei* conſilio & beneficio, non multo ante compoſuimus, cui concordiæ plerique ſtatus *Germaniæ* non multo ante ſubſcripſerunt, nunc porro eam amant & obſervant, qua fit ut jam nunc *Eccleſiæ* noſtræ, ex gratia *Dei*, tranquilliori ſtatu perfruantur. Quod ſi veſtræ *Galliæ* & aliarum nationum in articulo de *Cæna Domini* & paucis ſimilibus

libus, a nobis adhuc dissentientium *Ecclesia*, nostris conjungi, adeoque universalis omnium consensus in *Ecclesia* doctrina constitui posset, ea re nihil optabilius sane esset neque antiquius.

An autem in *Religione* nostra, quę hisce temporibus absque certo capite & Gubernatore, potius *Poliarchia* quam *Monarchia* regitur, per *Synodum* universalem conjunctionis remedium & via quæri possit, consilio & deliberatione gravissima, & quidem omnium *Ordinum* nostræ *Religionis*, opus habet. Et quamvis novissima exempla *Germaniæ* contestentur, *Synodorum* eventus, hoc præsenti omnium turbulentissimo seculo, ad pacem & tranquillitatem nostrarum *Ecclesiarum*, raro fuisse fœlices: Tamen hac in re communi, magna & gravissima, *Illustrissima sua Celsitudo*, sibi soli judicium non sumit, sed causam totam ad universalem statum & *Ecclesiarum Germaniæ* deliberationem & arbi-

trium transfert, qua in re, quod pro dirimendis istis nostrarum *Ecclesiarum* controversiis, & stabilienda de *Religione* concordia universali, communiter utile esse videbitur, & *Illustrissima sua Celsitudo*, facile & suum calculum addet, suumque studium & operam pro virili non obscure contestabitur.

Et ut *Regia sua Serenitas* intelligat, hoc negotium *Illustrissimæ suæ Celsitudini* præcipue curæ esse, constituit proximis quoque temporibus, cum *Illustrissimo Principe Domino, Domino Augusto Duce & Electore Saxoniæ*, & consanguineo, affine, fratre, & compatre ejus charissimo, & aliis quibusdam vicinis *Principibus* & amicis, de articulis a *Regia sua Serenitate* nunc propositis, maxime cum animus *Regiæ suæ Serenitatis* ad concordiam adeo sit intentus & propensus, conferre, & habita matura deliberatione statuere, quis modus agendi huic negotio possit esse commodissimus.

In

In cauſa quoque *Electoris Coloniensis Truckſeſii*, pro deponendis furoribus bellicis & pace conſtituenda *Illuſtrißima* S. *Celſitudo*, moleſtiis & ſumtibus hactenus non exiguis ſummum ſane lapidem movit, & porro ita aget, ut *Illuſtrißimæ S. Celſitudinis* ſtudium ſingulare pro ſalute & pace *Patriæ* & *Eccleſiarum* noſtrarum *Regiæ ſuæ Majeſtati* & cuivis non obſcure manifeſtetur..

Qualiter autem turbæ *Gallicæ*, maxime propter *Religionis* diſſidium exortæ, ſedandæ ſint, ea in re exiſtimat *Illuſtriſſimus Elector*, tum animum *Regis Gallici* ad pacem propenſiſſimum, tum quoque auctoritatem *Regiæ ſuæ Serenitatis*, plurimum valere & poſſe, nec dubium eſt, ſi mens & autoritas *Regis* propria virtute, & non turbulentis quorundam *Pontificiorum* perſuaſionibus, duceretur, *Eccleſias Gallicas*, pacemque totius *Regni*, facile ſalvas & incolumes eſſe & conſiſtere poſſe.

Accedat in *Religione*, maxime in *Laicos* non ſcandaloſos, conſcientiarum & fidei libertas, nec enim *Magiſtratus*, cum pro ſalute animarum cuilibet ſubdito fidejuſſor eſſe nequeat, inquiſitionis & coactionis jugo acerbiſſimo, quemque ad eam *Religionem* rectè cogit, in qua ſalutem ſuam æternam non conſiſtere ſubditus ipſe, conſcientiam ſuam teſtem habet.

Quod ſi in R*eligione* ſicuti in politicis ſecuritas & pax publica conſtitueretur (ſicuti ante aliquot annos aliqui *Proceres* R*egni* apud R*egiam Serenitatem* flagitaſſe dicuntur) exinde animi ſubditorum facillime reconciliarentur, & communis omnium ſubditorum magis conſtans erga R*egiam Serenitatem* eſſet fides & obſervantia, ex quo deinde totius gubernationis R*egni* tranquilliorem & fœliciorem ſtatum ſequi neceſſe eſt.

Exempla hujus rationis R*egia Serenitas* præ oculis habet, quoties de pace publica R*eligionis* in *S. R. J.*

cogitat,

cogitat, quam ſalutifera enim hæc publica conſtitutio *Patriæ* noſtræ communi hactenus fuerit, vix verbis exprimi poteſt. Quod ſi quiſque *Religionem* inquiſitionibus, vi vel armis propagare tentaſſet, parietes urbium ſolos reſiduos haberemus, *Rem* vero *Publicam Rom.* bello & cæde diſturbatam penitus amiſiſſemus.

Atque hæc ſunt quæ *Illuſtriſsimus Elector* pro pace & ſalute *Potentiſsimi Regni Galliæ* (cui *Illuſtriſsima S. Celſitudo*, ejuſque tota progenies domus *Brandenburgicæ* ſemper bene voluit) apprime conducere exiſtimat, ea omnia tamen ad ſanius conſilium, & arbitrium *Regiæ S. Serenitatis* reducens. Et quod reſtat, *Illuſtriſsima ſua Celſitudo*, tum toti *Regno Galliæ*, tum quoque *Regis Navarreni Serenitate*, perpetuam pacem, & omnium rerum fauſtos & fœlices ſucceſſus ex animo exoptat. *Regiæ ſuæ Serenitati*, ſimul omnia ſtudia & officia, quę virtus

in verum amicum requirit, studiose & observanter deferens, *Dominumque Legatum Illustrissima sua Celsitudo*, singulari favore & gratia complectitur.

Actum & sigillo Electoris confirmatum *Coloniæ* ad *Spream.* 24. die mensis Januarii 1584.

Manu propria scripta.

XIX.
RESPONSORIA
PRUSSIÆ DUCIS
ad
HENRICUM
Navarræ Regem.

Serenissime Rex, Potentissime *Princeps consanguinee & amice charissime.*

S. R. D. V. post officiorum & studii nostri propensissimi commenda-

dationem, diuturnam valetudinem & rerum omnium successus prosperrimos ex animo precamur, Consanguinee & amice colendissime. Misit ad nos Generosus *D. Jacobus Segurius Pardelianus R. D. V.* per *Germaniam Legatus*, *R. D. V.* litteras, at quæ ex mandato ejusdem coram referre debuisset, in scriptis luculenter nobis exposuit.

Etsi vero nihil nobis accidere gratius potuisset, quam eundem *D. Segurium* coram videre, audire atque complecti, nec non de R. *D. V.* incolumitate & statu ex eo cognoscere, tempori tamen ejusque occupationibus condonandum arbitramur, quod ab hoc congressu & colloquio exclusi simus.

Multo vero nobis jucundius fuisset ipsam R. *D. V.* quæ suum de *Germania* & *purioris Religionis* in ea *Principibus* visendis, anni superioris institutum nobis significavit, salvam & incolumem conspicere, eidemque hospitalitatis & benevolentiæ

lentiæ nostræ studia coram comprobare. Quod ut (si ita *Deus* volet) aliquando sine R. *D. V.* molestia, & cum utilitate publica fiat precamur.

Capita vero Legationis per *D. Segurium* transmissa quod attinet, *R.* D. *V.* summopere gratulamur, nobis vero & *reip. christianæ* gaudemus, & R. D. *V.* præclaram voluntatem & pietatis studium libenter agnoscimus, quod non saltem de concordia & doctrinæ consensu in *Ecclesia Christi* instituendo atque conservando pias cogitationes suscipiat, verum etiam (quod hucusque a multis desideratum fuit) ex sacrarum literarum fontibus controversias dirimi, & se suosque informari cupiat, simul etiam pro sua prudentia atque vigilantia, ostensis dissensionum incommodis, & detectis communium adversariorum machinationibus, de justa defensione *reip.* & *Ecclesiæ* admoneat, & consilia salutaria proponat, ad eam etiam

rem

rem operam, auxilia, opes, viresque suas conferre promittat.

Quas R. *D. V.* pias curas & conatus nemo est qui non laudet, nos vero summopere commendamus, & merito facimus maximi, qui non saltem a prima ætate puriori *Evangelii Doctrina* imbuti eam serio amplexi sumus, & pro ea defendenda, & ab omnibus corruptelis vindicanda, pro virium nostrarum modulo, non levem huc usque curam sustinuimus, idque majorum nostrorum exemplo, & *Divi parentis* nostri vestigiis insistentes, qui cum paucis aliis *Imperii Principibus*, *Religionem Christianam*, pio Zelo professus, ejus subscriptam formulam *Divo Carolo Quinto Imperatori Augustæ Vindelicorum Anno* 1530. obtulit, & in ea tuenda constantiam, usque ad vitæ finem adhibuit. Eoque nunc magis cum cæteris *Princ. Evang. Doctr.* profitentibus laborandum nobis existimamus, ut a majoribus accepta, sarta tecta nobis conservemus, & ad posteritatem transmittamus. Ad

Ad *Ecclesiæ* autem & *reip. christianæ* conservationem scilicet atque defensionem, plurimum momenti & roboris afferre, pulcherrimum illud *Christianæ Societatis* vinculum concordiam, & in puritate doctrinæ consensum viresque unitas, contra communem hostem plus quam distractas, valere non ignoramus. Quæ vero fata eam, quam multi boni in *Ecclesiis* desiderant & optant, concordiam atque consensum nobis inviderint, hucusque satis non liquet.

Sed non tantopere fata, quam obstinata quorundam in tuendis opinionibus ingenia, utrinque huic rei obstitisse arbitramur. Nobis huc usque in hac temporum injuria satis fuit, pacem in ditionum nostrarum *Ecclesiis* colere, & unanimi præcipuorum *Augustanæ Confessionis Principum* consensu gaudere, fore aliquando confisi, ut qui eundem *Christum* & in idem babtismа profitemur, in unum *Ecclesiæ* corpus, *Dei* adspirante numine, coalescamus;

mus; plurimum itaque nos consolatur, & in spem bonam erigit, quod *R.* D. *V.* Se & *Ecclesias Gallicanas* eisque confines, desiderio reconciliationis, & instituendæ cum *Ecclesiis* nostris concordiæ teneri, & ut in placida sententiarum collatione ex *verbo divino*, quod omnium dogmatum est regula, meliora doceantur, facile laturas ostendit. Quod si utrinque factum ante hac fuisset, nunquam tot opinionum diversarum inter se contentionibus scissa, & hostium direptionibus & crudelitati objecta fuisset *Ecclesia*, nec de defensione ejus tantopere nunc laboraremus.

Quæ vero presentibus malis & periculis, ex animorum dissensione, & *Pontificiorum* non obscura machinatione, utrique *Ecclesiæ* impendentibus, medicina & remedia adhibenda sint, etsi ea quæ a *R.D.V.* de *Synodi generali* indicenda, silentio interim imponendo, charitate colenda, & viribus in unum cogendis

dis prudenter proponuntur, uti salutaria ita necessaria judicamus. Tamen cum hæc consilia universos *Imperii Electores* & *Principes* puritatem *Evangelii* profitentes propius concernunt, difficile est mentem & sententiam nostram *R.* D. *V.* ea de re separatim exponere.

Non committemus itaque quin primo quoque tempore, cum *Illustrissimis Electoribus*, & aliis nostræ R*eligionis Principibus* cognatis nostris, communicato consilio, ita R. *V.* D. aliquando respondeamus, ut nos pacis & concordiæ studiosos & veritatis amantes, & ad propagandam communem *Ecclesiæ* & *reip.* salutem, propensissimos esse semperque fuisse intelligat.

Quicquid interim operæ, studii, voluntatis, ad salutem communem conservandam, & R*egiam* quoque *Serenitatem vestram* pro parte virili *Imperii* Rom. tuendam, tum etiam ad *Christianissimum Galliæ* R*egem* ad pacis & tranquillitatis promissa ob-

servan-

ſervantiam cohortandum conferre poterimus, non patiemur quicquam in nobis deſiderari.

Atque hæc hoc tempore ad literas & Legationis capita R. D. *V.* reſpondere viſum fuit, cui diuturnam valetudinem, & in *vera Religione* conſtantiam, gubernationem tranquillam, rerumque ſucceſſus proſperrimos ex animo precamur.

Regiomonte in *Pruſsia* die 1. Martii. 1584.

GEORGIUS FREDERICUS.

Sereniſſimo Principi a Domino, Domino Henrico Navarrorum Regi, &c. Dei gratia Fredericus Marchio Brandenburgenſis in Pruſſia, Pomeraniæ, Caſſubiorum & Sclavorum, nec non Sileſiæ Carnoviæ, &c, Dux, Burgravius Norimbergenſis ac Rugiæ Princeps.

XX.

EJUSDEM PRUSSIÆ DUCIS *ad* LEGATUM RESPONSORIA.

Generose Domine syncere nobis dilecte.

Litteras Sync. V. die 25. *Ianuarii Berlini* datas, cum iis quæ *S. V. nomine Ser. Navarræ Regis* cognati nostri charissimi, coram referre nobis debuit ad diem 16. *Februarii* accepimus, & non sine voluptate legimus, quod ex iis *Regis optimi* singulare erga *rempubl. christianam* studium, & erga nos etiam fiduciam, cum summa benevolentia conjunctam, non obscure intelligeremus.

Quia

Quia vero nihil nobis optatius fuisset quam S. V. non tantum ex literis *Regis* sui, verum etiam aliorum sermonibus, ob singularem virtutem, & prudentiam tantopere nobis commendatam coram videre, audire & benevolentia nostra complecti, ut cum ea de pręsenti, non tantum *Serenissimi Navarræ Regis*, sed etiam *Galliæ* statu sermones conferre liceret, nos ab hoc conventu & colloquio temporis iniquitate, & *S.* V. gravioribus occupationibus, exclusos esse summopere dolemus.

Quæ vero ad *S.* V. Legationis capita *S.* R. *Dni.* hoc tempore responderimus *S.* V. ex exemplo responsi nostri, quod hisce adjunximus facile cognoscet, eoque hasce breviores damus, planeque confidimus R. D. ipsius si non ipso facto, at propensissimæ voluntatis argumento satisfactam esse.

Quod reliquum est a *S.* V. amanter petimus, ut cum primum ad *Regem* ac Dominum suum salva & inco-

columis (quod precamur) reversa fuerit, eidem R. D. præter salutem nostram, studium & benevolentiam nostram, in omni officiorum genere paratissimam esse deferat: *Vestræ* quoque *Synceritati* favorem & propensissimam voluntatem nostram in rebus omnibus pollicemur, quam prosperrime valere & fœlicem vivere optamus.

Regiomonte in *Prussia*, die 1. Martii. Anno 1584.

GEORGIUS FREDERICUS
Dux Prussiæ.

Manu propria S.

XXI.

XXI.

REPONSORIA HOLSATIÆ DUCIS AD *LEGATUM.*

Nobilis & Clarissime Domine Legate.

SCriptum vestrum cum adjunctis literis *Serenissimi Navarrorum Regis* &c. Domini & consanguinei nostri plurimum colendi: Nec non exemplum mandatorum, quæ sua *Regia Serenitas* vobis ad nos perferenda dedit, accepimus. Uti vero *sua Regia Serenitatis* benevolentia, & concepta de nobis fiducia, pergrata & quam jucunda fuit, ita magnitudo rerum vobis commissarum,

quæ nobis perarduæ visę sunt, haud parum sollicitos nos reddidit.

Quid enim magis arduum & difficile, quam diffidentes de fide & *religione* inter *Gallicas* & *Germanicas Ecclesias* jamque fere inveteratas sententias conciliare & in unam redigere consonantiam? Quid difficilius *Ecclesiæ* & *Rebuspubl.* pacem firmam & tranquillitatem parare, quod sine maxima vi pecuniarum, sumtibusque haud ferendis fieri non posse superiorum confœderationum exempla, eorumque exitus nos docent.

Quid ergo nostrum in auspiciendis recte, perficiendisque fœliciter tantis rebus sit judicium, candide & syncere ad *suam Regiam Majestatem* rescripsimus, vobisque literas obsignatas transmittimus cum exemplo, ut de eo vobis quoque constare possit, petimusque ut eas literas *suæ Regiæ Serenitati* perferatis, simul atque gratiis actis pro humanissima *suæ Regiæ Serenitatis* salutatione significetis, *Nos suæ Regiæ Serenitati* omnia

nostra

nostra officiosa grataque officia deferre & polliceri.

Deus, qui sedulo invocandus & orandus est, hos *sua Regiæ Serenitatis* conatus pro sua divina voluntate regat, ac ita secundet, ut vergant in honorem & gloriam sui nominis, atque *Ecclesiæ* & *Rerumpub.* salutiferam concordiam & tranquillitatem, cessentque hi gravissimi tumultus & lanienæ, quibus *Florentissimum Gall. regnum* jam per multos annos exagitatur.

Quod attinet ad eam scripti vestri partem, qua vestra continetur excusatio, ob nos, in hac vestra profectione ad *serenißimum Daniæ Regem Dominum & Patruelem nostrum* non conventos. Ea minime opus fuerat, nihil enim eo ipso admissum, quam quod postea exiguo tempore interjecto gravissimorum nostrorum negotiorum causa, ex consueta nostra *Aula Gottorpiana* alio abeundum fuerit. Quo fit ut vestra præsentia in ipsius reditu nobis frui, pluribusque

de rebus vestrę fidei commissis coram colloqui non liceat. *Deo Opt. Max.* vos commendamus, faustumque & fœlicem in Patriam ad suos reditum vobis precamur. Bene valete.

Ex arce nostra *Chilonio* Idibus Martii. Anno 1584.

ADOLPHUS
Dei gratia Heres Norvegiæ, Dux Schlesvici, Holsatiæ, Stormariæ Dithmarsiæque, Comes Oldemburgi & Delmenhorstii.

XXII.

XXII.

LEGATI EPISTOLA AD DUCEM HOLSATICUM.

Illustrissime Princeps.

C*Elsitudinis vestræ* Responsionem ad *Serenissimum* Regem *Navarrenum* una cum literis ad me scriptis hodierna die accepi. Quamquam autem in istis humanitatis eximię, erga me non merentem, singulare specimen elucet, unde voluptatis non minimum ad me redit: tamen longe majorem ex illius responsionis exemplo oblectationem cœpi, in quo egregiæ cujusdam atque indelebilis pietatis significatio, ita non passim modo interlita, sed adi

vivum expressa est, atque exsculpta, ut nihil supra fieri possit. Qua igitur propensione atque animi alacritate scriptum illud perlegi, ea demum ad *Serenissimum Navarrenum Regem* primo quoque tempore missurus sum. Neque dubito quin ipsius & omnium bonorum studiis, adeo sancta & *Christiano Principe* digna *Celsitudinis vestræ* responsio comprobetur. Hoc unum ad solidam atque absolutam animi mei voluptatem mihi deest, quod neque *Illustrissimæ Celsitudinis vestræ* colloquio antea frui licuerit, neque ut hoc mihi deinceps liceat, propter gravissimas *Celsitudinis V.* occupationes, & susceptam alio profectionem spero, quocunque tamen *Celsitudo V.* viam instituat, & quibuscunque tandem negotiis implicetur, eam votis meis & precibus ad *Deum Opt. Max.* prosequar, & ab ipso petam, ut & itineris auspicem, & actionum ducem se præbeat.

Superest, *Illustrissime Princeps*, ut

ut quemadmodum *Legationis* meæ causa sapientissimo *Celsitudinis V.* Judicio probata est, ita etiam ejusdem autoritate atque industria promoveatur. Quod quoniam *Celsitudo V.* sedulo facturam se recipit, non hoc fieri postulo, sed quasi præstitum sit, jam gratias ago, cum eam esse *Celsitudinis* V. in pollicitis constantiam atque fidem intellexerim, quam a *Principe* eximio atque omnium virtutum genere prædito expectari vix par est.

Hoc unum ad istius facti commendationem addam, difficile quidem esse concordiæ in *Ecclesia* sanciendæ, & depellendi *Romani lupi* institutum, sed summæ cujusdam & perfectę virtutis nullum præclarius edi posse monumentum. Quod quoniam summis etiam *Principibus*, & heroica quadam animi præstantia excellentibus dignum est, a *Celsitudine V.* pro viribus susceptum iri omnino existimo. Hos vero conatus optimos & cum pietate conjun-

ctissimos *Deus* ille provehet, a quo ut *Celsitudinem* V. salvam & incolumem tueatur etiam atque etiam peto.

Flensburgæ. 16. Martii. 1584.

XXIII.

EPISTOLA HENRICI REGIS AD SUEC. REGEM.

Serenissime Rex, Consanguinee & frater Charissime.

Cum a multis jam annis *Ecclesiæ* nostræ *bello Gallico* Civili jactatæ fuerint, neque tantisper dum premerentur, ab iis defendendis vacuum ullum tempus nobis concessum fuerit, summo cum mærore nostro

nostro factum est, ut plerosque *Principes*, præsertim longo itineris intervallo dissitos, neque per *Legatos*, neque per literas salutaverimus; inter eos porro *Serenitatem vestram* extitisse eo magis dolemus, quod singularem ipsius virtutem, eruditionem, magnanimitatem & hæroicos ingenii corporisque dotes, præsertim vero pietatem, & eximium *Religionis* studium prædicant, quicunque istinc ad nos quotidie commigrare solent. Quam primum quidem compositis bellorum nostrorum fluctibus & restituta pace aliquid nobis otii contigit, decreveramus anno superiori in *Angliam & Scotiam* navigare, atque inde lustratis orę *Belgicæ* finibus, *Daniam* & *Germaniam* petere, iisque peragratis ad *Serenitatem vestram* contendere, partim ut tot Piorum & præstantium *Regum* & *Principum*, qui *Religionem puram* amplectuntur, jucundissima consuetudine frueremur, & cum iis firmam & perpetuam

amicitiam *Nodis Gordianis* necteremus, partim etiam ut de *Synodo Ecclesiarum* totius *Europæ* convocanda ad componendas nostras in Capitibus fidei dissensiones & de fœdere adversus *Antichristum Rom.* coëundo cum ipsis ageremus.

Verum cum in stabilienda pace nostra *Gallica*, multę, ut fit, quotidie difficultates orirentur, quæ nos vel invitos in *Gallia* detinuerunt, & ab instituto propemodum itinere revocarunt. Quod proximum fuit *Dominum Segurium Pardilianum* interiori nostro Consilio pręfectum ad *Reges* & *Principes* illos, præsertim vero ad *Serenitatem vestram* cum mandatis nostris mittere decrevimus, ut de *Synodo* & fœdere, aliisque rebus ad *Ecclesiæ* salutem pertinentibus, serio cum iis ageret.

Ac quoniam ea est *Serenitatis vestræ* pietas, ut promovenda *Dei* gloria nihil carius habeat, ea porro autoritas, ut si ad Certamina *Ecclesiæ* componenda, & retundendos *Pontificis*

tificis Rom. Conatus accingatur, multos alios *Prin.* virtutis & industriæ suæ imitatores atque æmulos habitura sit. Idcirco ab illa petimus, & uti prima est illa nostra a *Serenitate vestra* postulatio, primæ literæ scriptæ, ita omni prece & contentione flagitamus, ut negotium *Legato* nostro commissum totis viribus provehat, cæteris *Principibus* præeat, aut si serius ad ipsam, propter itineris longinquitatem mandata nostra perferantur, saltem, quod ab aliis *Reg.* & *Principibus* hoc in negotio statutum fuerit, suo ipsa voto comprobet, & se ad ipsorum fœdera & deliberationes adjungat. Quod si fecerit, tum & de *Ecclesia Dei* optime merebitur & Officium *Regio munere* dignissimum præstabit, & immortalem nominis famam ad posteros consequetur.

Nos vero præclarissimo illo facinore perpetuo sibi obstringet *Serenitas vestra*, quam perinde ut parentem qua decet observantia colimus

& debitis ſemper honoribus proſequemur.

Quod ad Statum præſertim *Ecclesiarum* noſtrarum & totius *Galliæ*, ejus ſignificandi *Segurii* noſtro partes erunt. Interea *Deum Opt. Max.* oro ut *Serenitatem veſtram* Regiam in *Eccleſiæ* ſalutem ſoſpitem & incolumem diutiſſime ſervet.

Neraci 15. Julii Anno. 1583.

XXIV.

EPISTOLA LEGATI AD REGEM SUECIÆ.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

NOnus agitur menſis, ex quo a *Sereniſsimo* Rege *Navarreno* ad varios

varios *Principes* missus legatione mea fungor, neque tamen ad huc licuit, per occupationes illas quæ me apud *Illustrissimos Germaniæ Principes* in obeundo isto munere detinent, ad *R. V. S.* contendere; licet hoc in mandatis meis vel imprimis contineatur, cum itaque hactenus *Serenissimi Regis Navarreni* literas ad *Majestatem vestram* scriptas mittere decrevi, una cum iis mandatis, ex quorum formula cum *Illustrissimis Germaniæ Principibus* de pace & tranquillitate *Ecclsiarum* egi, ex quibus *Regia V. Serenitas* partim eximiam *Serenissimi Regis Navarreni* erga se voluntatem & singularem benevolentiam perspiciet: partim etiam incredibile quoddam *Ecclesiæ Dei* propagandæ studium ac desiderium.

Quoniam autem uti a me prædictum est, nondum *Germaniæ* finibus mihi excedere licet, & cum *Serenitate vestra* coram agere, hoc primum ipsius pace summis precibus postulo,

ut Regia *Majestas V.* *Serenissimo* Regi *Navarreno* per literas respondeat, quas ad *ipsius Majestatem* e Vestigio missurus sum, ut aliqua hac in parte diligentiæ meæ constet fides, deinde ut in illa Concordia, quam inter *Ecclesias* quærimus, & in fœdere quod expetimus, quæ sit *Serenitatis vestræ* sententia, quæ voluntas literis illis, aut alio scripti genere *Serenissimo* Regi *Navarreno* aperire velit, & ad me literarum exemplum mitti jubere.

Quod si causa ista *Majestati vestræ* probabitur, uti *Seren.* Regina *Angliæ*, *Sereniss.* Regi *Daniæ* & aliis plerisque *Electoribus*, & *Principibus Germaniæ* probata est, cum hoc etiam simplici oratione peto, ut illius promovendæ rationes & Consilia nobis pro singulari sua pietate & sapientia *Serenitas vestra* aperiat.

Quam primum vero legatione mea in *Germania* perfunctus fuero, ad *Serenitatem vestram* convolabo, ut fusius ipsi *Serenissimi Regis Navarreni*

varreni voluntatem & postulata explicem, ex mandatorum scilicet eorum ratione & serie, quæ prolixiora ad *Majestatem V.* mihi tradita sunt. Quæ cum in adventum usque meum in vestram *Aulam* retinere decreverim, interea tamen literas *Regias* & nostras ad *Serenitatem V.* mittendas esse censui, ut certissima essent pignora instituendę profectionis meæ ad *Serenitatem vestram*, quam ut *Deus Opt. Max.* ad *Ecclesiæ* suæ Salutem incolumem diutissime servet, ardentibus votis exopto.

Hamburgæ 26. Martii 1584.

XXV.

XXV.

RESPONSORIA SUEC. REGIS AD Nav. R. literas.

JOHANNES tertius Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorum, &c. Rex. Magnus Princeps Finlandiæ, Caroliæ, Ingriæ & Soloncīæ, Ruthenorum, Estroniæque, Dux &c. Serenissimo Principi, HENRICO eadem gratia, Regi Navarræ, Principi Bearniæ, Duci Vindocinensi, Belmontensi, Albretensi, Nemorensi, &c. Comite Foxensi Armeniaco, Ru-

Ruthenensi, Petragaroriensi, &c. Vicecomiti Lemoricensi, &c. Salutem omniumque rerum fœlicissimum incrementum.

Serenissime Princeps, frater & Consanguinee Charissime.

REdditæ sunt nobis 4. nonas *Maji.* anni currentis literæ *Serenitatis V.* quas ad nos ejusdem *Legatus Jacobus Segurius*, una cum exemplo suæ instructionis ex *Hamburga* jam pridem transmisit, ex quibus cognovimus V. *Serenitatem* summopere desiderare *religionis* Concordiam, eamque fieri posse, per generalem quandam *Synodum*, sibi habere persuasum, quocirca *Serenitas* V. conventum tam nostrorum, quam aliorum *Regum* viciniorum, *Germaniaque Principum legatorum* in locò deputato, stato tempore ad eam

eam rem perficiendam sedulo requirit. Et quamvis nihil est magis optandum, quam ut veræ & Orthodoxæ *religionis* utique restaurandæ, & ab universis & singulis, qui *Christiano* nomine appellari volunt peræque colendę consilium iniretur, conspiratis in hanc unicam animis omnium, quorum plerique ita jam distracti sunt, ut ne simulacrum quidem *veræ religionis* retinere videantur, tamen quoniam omnes sectę in mundo doctrinam suam *verbo divino* fultam esse eodemque defendi glorientur & contendant, usque dum quot quot *religionis* opiniones irrepserint, tot diversas *sacrarum literarum* interpretationes subinde exortas esse, omnibus propemodum constat, non videmus, qua ratione hęc *religionis* Concordia possit expectari, siquidem nullus quisquam, licet gravissime erraverit, tantæ sit temeritatis aut impudentiæ, ut citra *scripturam* se loqui fateatur, nam licet *sacra scriptura* &

ver-

verbum Dei ſemper unum, una ejuſdemque vera & genuina ſit Interpretatio, eam tamen ſinguli errantium vel indoctiſſimo ſuo ingenio ſubjicere & ſuo captu ad infinitos ſenſus torquere non verentur.

Quamobrem niſi huic malo remedium aliquod poſſit inveniri, vix exiſtimamus fieri poſſe, ut qui in ſacrarum literarum interpretatione, diverſis modis ambigant, tot diſcrepantium hominum dogmata conciliare & concordare poſſint. Quod ad nos attinet, optamus ex animo, ut *Vera Religio* jam denuo poſſet ſuccreſſere, & reſarcirj, exploſis omnibus omnium opinionibus adulterinis, cui rei & nos quantum fieri licebit, non ſumus defuturi. De *Synodo* autem vel fœdere nihil poſſumus polliceri, tum quod tempus conventionis, tum etiam de perſonis & conditionibus utrimque & de loco nos lateat.

Deum Opt. Max. interim ardentibus votis comprecantes, ut quicquid

quid hujus futurum sit, ad *veræ Ecclesiæ* restitutionem ac gloriam & honorem *Dei* perpetuum cedat, si præterea *vestræ Serenitati* ulla in re grata officia præstare possumus, erimus semper propensissimi. *Deus Opt. Max. Serenitatem* V. in Florenti *Regni* sui statu salvam & incolumen diutissime servet.

Datum in Arce Nostra Arosiensi 25. die Mensis Maji, Anno Christi 1584. Regni vero nostri, 16.

Serenitatis vestræ benevolus Frater

JOHANNES R. S.

JOHANNES III.

Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandolorum, &c. Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Caroliæ, Ingriæ & Soloncíæ, Ruthenorum Esterniæque Livoniæ, &c. Dux.

XXVI.

XXVI.

EPISTOLA NAVARRENI REGIS AD CAROL. SUDERM. D. Sueciæ Heredem.

Illuſtriſſime Princeps Conſang. & Amice chariſſime.

POſteaquam *regnum Gallicum* per multos jam annos miſere direptum, a bellis tandem civilibus conquievit, decreveramus, idque anno ſuperiori, Navigationem in *Angliam* & *Scotiam* inſtituere atque inde in *Belgium*, *Germaniam*, *Daniam* & *Sueciam*, partim ut *ſereniſſimos* pleroſque

rosque *Reges*, & *illustrissimos Principes*, quorum opera *emendata religio* defenditur, conveniremus ac cum iis amicitiam firmaremus, partim ut de controversiis illis in re fidei componendis ageremus, quæ ambitione quorundam *Theologorum Ecclesias* puriores undique misere vexant, partim denique ut *Pontificis* dolos, & perditos adversus *Ecclesiam Dei* conatus *illustrissimorum Principum* oculis subjiceremus ac cum iis de fœdere contra vim *Antichristi* illius coëundo verba faceremus.

Verum cum in pace *Gallica* constituenda difficultates quędam subinde exorientes, nobis sæpius ad profectionem istam accinctis & paratis remoram injecerint, quod ipsi præstare non potuimus, id ut per alium fieret, statim operam dedimus. *Dominum* itaque *Segurium Pardelianum interiori nostro Consilio Præfectum* ad *serenißimos* illarum *Regionum Reges* & *illustrißimos Principes* ablegavimus,

mus, eique potestatem fecimus cum iis agendi de gravissimis illis & concordiæ & fœderis instituendi negotiis.

Cum autem *Celsitudinis vestræ* summam esse prudentiam, & eximiam virtutem intelleximus, imprimis vero *religionis* & pietatis studium singulare. Idcirco eidem *Segurio* nostro mandavimus, tum ut sinceram nostram & minime fucatam amicitiam & benevolentiam erga *Celsitudinem vestram* aperiret, tum etiam ut de legationis suæ caussis cum *Celsitudine vestra* ex mandati sui formula serio ageret, postularetque, ut negotium istud *Ecclesiæ Dei* perutile & prorsus necessarium totis viribus præsertim apud *serenissimum Regem Sueciæ Celsitudo vestra* promoveat. Quod quoniam propter istam pietatem, qua cæteris plerisque præstat, a *Celsitudine vestra* exoratum iri confidimus, quæ vero desunt Epistolæ nostræ *Dominus Segurius* industria sua pro muneris ratione explicabit,

literis istis finem imponemus, si prius officia nostra omnia *Celsitudini vestræ* detulerimus ac *Deum* oraverimus, ut *Celsitudinem vestram* ad *Ecclesiæ* salutem diutissime incolumem servet.

Neraci. 25. Julii 1585.

XXVII.

EPISTOLA LEGATI

ad eundem

SUDERM. DUCEM.

Illustrissime Princeps.

CUm a *serenissimo Rege Navarreno* ad *illustrissimos Germaniæ Principes* ablegatus fuerim, & inde ad *serenissimum Regem Sueciæ* & *Celsitudinem vestram* ire jussus, neque tamen

tamen adhuc eo contendere potuerim, propter varias occupationes, quas in administranda legatione mea rerum ipsarum difficultates & momenta pariunt, operæ pretium fore judicavi, si tum ad *serenißimum Regem Sueciæ*, tum ad *Celsitudinem vestram Serenissimi Regis Navarreni* literas & mandati illius formulam mitterem, ex qua cum *illustrissimis Germaniæ Principibus* hactenus egi, ut ea re optimam *Ser. ipsius* erga *Eccl.* voluntatem *Celsitudo vestra* cognosceret, & ad promovendum pium hoc & *christ. negotiũ* totis ipsa viribus incumberet.

Quoniam autem ea est *Celsit. V.* tum pietas erga *Deum*, tum inter homines autoritas, ut si causæ isti faveat (quod omnes boni sperant) nullum illustrius ad æmulationẽ aliorum excitandam edi possit exemplum. Idcirco a *Celsitudine V.* peto, ut tantisper, dum legatione mea in *Germania* defungor, & ad profectionem in *Sueciam* accingor, quid animi sui sit in hoc toto negotio, aperire velit, &

ad *sereniſsimum Regem Navarrenum* reſcribere. Quod ſi fecerit *Celſitudo V.* & rem ipſam approbarit, uti ab omnibus fere *Germaniæ Principibus*, qui *veræ Religioni* favent, præſertim ab *Electoribus Saxonico* & *Brandeburgico* approbata eſt, non dubito quin aliorum *Principum* animi ad amplectendam & procurandam in *Eccleſia Dei* concordiam, & retundendos *Romani Antich.* conatus, propenſiores & alacriores reddantur.

Interea tantiſper dum a *Celſitudine V.* abeſſe cogor, quam tamen primo quoque tempore inviſere ex mandatis *ſereniſſimi Regis Navarreni* decrevi, A *Deo Opt. Max.* petam, ut *illuſtriſsimam Celſitudinem V.* ad nominis ſuis gloriam & *Eccleſiæ* ſalutem diutiſſime incolumem ſervet.

Hamburgi. 26. Martii 1584.

Is non reſpondit ſed pollicitus eſt ſe miſſurum reſponſum Lubecam ad Marcum Merves Civem Lubecenſem.

XXVIII.

XXVIII.

EPISTOLA HENRICI REGIS AD AUGUSTUM

Saxoniæ Electorem.

CUm nos ab ineunte ætate purioris doctrinæ rudimentis imbuti succenderit mira quædam & pene incredibilis cupiditas *Principes* eos invisendi, quorum opera *Dominus* ad propagandam nominis sui gloriam usus esset. Tum vero *Illustrissimos* illos *Germaniæ Proceres* conveniendos semper existimavimus; *Princeps Illustrissime*, apud quos primum veritas, veluti e densensissimis tenebris quibus obscurata jam dudum fuit emerserat. Cujus deside-

rii nostri, una cum ætate & *religionis* studio adolescentis eo progressus fuerat, anno superiore, impetus, ut ceteris omnibus posthabitis in animum induceremus nos itineri tam longo, tamque laborioso committere, nisi *Deus* injecta veluti manu nos festinantes properantesque domum revocasset. Nam cum videremus, judicarentque omnes pii ob nostram absentiam plus detrimenti longe *Ecclesias*, quæ *Christi* auspiciis in *Galliis* sunt collectæ passuras esse, quam peregrinatio illa nostra posset afferre commodi: Paruimus virorum bonorum & prudentium consiliis, ad eaque aut sananda, quæ curatione indigerent, aut confirmanda, quæ labascerent animum adjunximus, consiliaque omnia nostra contulimus.

Quibus enim bellorum æstibus in scopulos abrepta fuerit universa *Gallia*, ut parum abfuerit a naufragio, quibus etiam nunc periculis subjecta sit, *Celsitudini vestræ* satis

 super-

ſuperque cognitum eſſe non dubitamus, cui malo ut reſiſteremus & nefariis perditorum hominum, noviſque rebus ſtudentium conſiliis obviam iremus, aliquot annos, quibus civilibus bellis agitata fuit *Gallia*, noſtræque ditionis Provinciæ, in *Galliis* ſubſtitimus, nec vero levioribus de cauſis modo ſubſiſtere cogimur, ut malum imminens toto *Regno*, quantum autoritate apud omnes *Ordines*, gratia vero apud *Regem* pollemus, ab ipſis *Galliæ* cervicibus avertatur.

Etſi enim de voluntate *Regis Chriſtianiſſimi* ad tranquillitatem propenſa, ejuſque erga nos ſtudio dubitare nefas putamus, ſuſpecta tamen eſt nobis, nec immerito, cum multorum Principum, qui ſalutem ſuam in aliorum exeidio locant, proclivis ad turbandum libido, tum maxime *Romani Pontificis* animus, qui nullum ad uſq; tempus lapidem non movit, ut quietem *Regni* florentiſſimi turbet, in eaſque nos omnes

conjiciat angustias, ut nunquam eluctari possemus.

Porro cum duo essent, quæ nos ad hoc iter suscipiendum impellerent: prius quidem ut jucunda *vestræ Celsitudinis* præsentia frueremur, prudentissimumq; ipsius judicium de confirmanda & stabilienda pace *Gallica* consuleremus. Posterius vero ut de communibus omnium *Europæ Ecclesiarum* periculis consilia conferremus. Hæc cum ipsi coram præstare non possimus, existimamus non abs re futurum si per *Legatos* id faceremus. Neque sane alia fuit *Domini Segurii ad Celsitudinem vestram* mittendi ratio, cujus nos hominis; honestissimo & nobilissimo loco nati, eam tum in nostris, tum in *Ecclesiarum* rebus administrandis, *religionem* & incorruptam fidem perspeximus, ut eum in familiæ nostræ *præfectum* elegerimus, sanctiorique nostro consilio moderatorem adhibuerimus. Et licet ejus absentiam, neque nostræ, neque *Reipu-*

blicæ

blica ratio pateretur: Istius tamen *Legationis* onus ei committendum duximus, ut de nostro erga vos propensissimo studio *Celsitudinem vestram* certiorem faceret, & gratularetur vobis fœlicem rerum vestrarum statum & *Ecclesiarum* quæ sunt in ditionibus vestris tranquillitatem, simul etiam ut nostris verbis *Celsitudinem vestram* rogaret, ut consilium nobis impertiri dignetur in rebus dubiis, maxime vero qua ratione & via judicat *Celsitudinem vestram* in *Ecclesiis* nostris providere posse, ut a bellis civilibus immunes, tranquille & pacate sub *potentissimi* Prin*cipis* Regis *Galliarum Imperio* vitam *Christianis* dignam possint degere.

Postremo ut rogaremus *vestram Celsitudinem*, quantum autoritate & consilio potest (potest autem plurimum:) tantum apud R*egem Christianissimum* literis suis satagat, ut R*egius* ejus animus jam dudum ad pacem fovendam propensissimus, in tam sancto & R*eipublica Christiana*

necessario proposito magis ac magis confirmetur.

Quoniam autem omnium eorum interest, multoque magis *Principum*, qui repurgatam a superstitionibus *religionem* sectantur, ut quo arctioribus, *religionis* scilicet, vinculis sunt obligati, eo major inter eos sit amicitiæ necessitudo & benevolentiæ nexus, quem ea quæ concilanda restat inter nostros dissensio opinionum abrumpere non debet, cum in præcipuis doctrinæ articulis conveniat, communesque habeamus adversarios, qui æque nos omnes hostili odio persequantur. Hoc etiam a *Celsitudine vestra* petimus, ut pro sua autoritate, qua apud reliquos *Ordines Imperii* pollet, proque excellenti sua prudentia hoc conari velit, ut omnibus vestigiis quæratur, &, si fieri possit, stabiliatur concordia & unanimus in doctrina consensus, in quo solo positum est, adversus hostium, qui *Pontifici Romano* serviunt, insidias & conatus, tutum

&

& salutare præsidium, *vestram* autem *Celsitudinem* existimavimus diligentius esse interpellandam, cum propter suam inter reliquos *Princ.* eminentem, & veluti e speculo constitutam autoritatem, tum vero quoniam non dubitamus, quin ille *Princeps* in quibus ditionibus veluti in fœcundo fundo primum radices egit *pura religio*, ad ea quæ ad *Dei gloriam* & *Ecclesiarum* incolumitatem spectarent, omnem sponte navaturus esset operam summamque adhibiturus esset diligentiam, ut exemplar cęteris *Principibus* veri pastoris prebiturus.

Cæterum de nobis id sibi persuadeat, nos omni officio & studio ad *vestræ Celsitudini* obtemperandum, & ad publicam utilitatem procurandam, tuendam & fovendam fore semper paratissimos. Cætera ex nostro *legato Celsitudo vestra* intelligere non gravabitur, cui ut fides adhibeatur, a vobis etiam atque etiam petimus. *Deum Opt. Max.* &c.

XXIX.

MANDATA LEGATO DATA, ex quorum *FORMULA* CUM SAXONIÆ ELECTORE *agat.*

DOminus Segurius Pardilianus Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, Dominum Auguſtum Saxoniæ Ducem ſacri Romani Imperii Electorem, & Archimareſcallum, noſtris verbis officioſiſſime ſalutabit, benevolentiam erga ipſum noſtram, eximium amorem & obſervantiam teſtabitur, deſideriumque illud expo-

ner,

net, quo sub initium superioris anni tenebamur ad peragrandam scilicet *Germaniam* & cum *illustrissimo* illo *Principe* amicitiam firmandam, quem de *republ. christiana* optime meritum esse novimus, cui profectioni, cum exorientes subinde turbarum suspiciones adversarentur, & instar commorandi causas innecterent, se a nobis ablegatum fuisse significabit, ut quæ superius dicta sunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum *Ecclesiæ christianæ* statum ipsius oculis subjiceret, præsertim vero de quærendis dissensionum nostrorum remediis, & constituendo *Ecclesiarum* unanimi consensu consilia communicaret.

Exponet igitur imprimis quantopere necessaria sit inter *Principes* & reliquos *Ordines* eidem *religionis* cultui deditos concordia, & quantum ex intestinis nostris de doctrina dissidiis periculi contrahitur *Ecclesiis*, unde & ipsis in medio fere cursu remora injecta, & infirmis ad ve-

 rita-

ritatem properantibus impingendi occasio præbita sit.

Hujus mali fontem atque adeo autores a nobis non inquiri, quod sine nostro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum satis superque constet, perspecta morbi natura, probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod & reperire utilius sit & vero facilius, quam de procellarum illarum autoribus convenire.

Cuilibet *christianæ fidei* rudimentis imbuto notum esse nostr[illegible] in præcipuis doctrinæ Capitibus consensum, præsertim in gratuita peccatorum remissione, per *Christi* sanguinem *æterni Dei Filii*, & unius generis humani *Mediatoris* omnibus in ipsum credentibus parta, unde fit ut iisdem rationum & argumentorum telis *Antichristi* R*omani* præstigias & errores oppugnemus, in ipsoque adeo *Cœnæ* negotio, de quo præcipua disceptatio est, de *Sacramenti* substantia conveniamus, cum

nemo

nemo ſit, qui ſe verum *corpus Christi* in *Euchariſtia* aſſumere diffiteatur. Cum itaque nulla ſuperſit controverſia, niſi in ipſo percipiendi modo & præſentiæ ratione, intolerandum prorſus videri, ut in quærendo modo nullum plane modum adhibeamus, omnem contra excedamus.

P*ontificios* longe majus prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidiſſe, qui ante bellum ipſis indictum a ſummo illo *ſanctæ memoriæ Luthero*, capitalibus inter ſe, ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo ut *Scholaſtici* interpretes, in duodecim ferme diſcrepantes, aut contrarias diſtraherentur ſententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, ut nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in *Lombardi*, *Thomæ*, *Scoti*, *Durandi*, P*ici*, *Bonaventuræ*, & aliorum monumentis videre eſt, qui ſe cum multis ictibus antea jugularent, artibus tandem & P*ontificum* authoritate, majori cum otio

nobis exitium moliri cupientium, compressa sunt ejusmodi dissidia, quod ut a nobis vel hostium exemplo in controversia longe minus acerba fieret, tanto præsertim imminente ex dissensionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad hujus morbi curationem, *Ecclesiam* illam priscam, nobis facem prætulisse, cum in similibus controversiis, ut secessionibus & schismatibus occasionem præcideret, nihil prius haberet, nec antiquius *Synodorum* indictione, quæ scilicet infinitis prope vulneribus remedium attulerunt.

Majorum igitur more ab *Illustrissimo Saxoniæ Principe Duce* postulare nos, & per omnia sacra obtestari, ut apud se pro sua prudentia, & propensissimo in *Dei* gloriam studio expendat, an *Ecclesiæ* & *reipub. christianæ* expediat, ad dijudicandas controversias nostras universalem instauratarum totius *Europæ Ecclesiarum Synodum* haberi, ea scilicet

lege-

lege ut ad Conventum illum, de controversis inter nos Capitibus referatur, & possint accurata disceptatione (expensis omnium sententiis) dissensiones dirimi.

Quod si hujus *Concilii* indictionem e re *christiana* (uti existimamus) esse putet, ab eodem *Illustrissimo Principe* flagitare nos & omni contentione petere, ut quam primum illud convocari curet, & cum reliquis *Imperii Principibus* & *Ordinibus* hac de re diligenter agat.

Quoniam autem hujus morbi medicinæ moram attulerunt procellæ illæ, quibus jactantur *Ecclesiæ* multis *Europæ* locis, partim bello petitæ, partim crucem expertæ, unde fit ut laborantibus illis, tetrum hoc vulnus, eorum importuna contentione, & ambitiosis disputationibus subinde recrudescat, quorum muneris erat ulcus ipsum adhibitis acopis mitigare. Eoque denique acerbitatis provecta sint partium studia, ut se

se præjudicatis sententiis mutuo damnaverint, & ab *Ecclesia* communione (suo quidem judicio) exturbarint. Quod sæviendi genus ejusmodi videtur, ut præsentiori remedio egeat, neque sit ipsius in futuram *Synodum* differenda curatio, discriminis istius depellendi gratia, quod & *Verbum Domini* ludibrio & ipsius *Ecclesiam* direptioni exposuit; *Illustrissimum Saxoniæ Ducem* rogabit idem *Dominus Segurius*, ut tantisper dum paratur generalis illa *Synodus* curationem istam sibi prævertendam suscipiat, quæ duplici ratione commodissime absolvi possit. Altera quidem si omnium utriusque professionis *Ecclesiarum* controversię ad *Synodum* dijudicandæ referantur, neque cuiquam privatim in aliarum fraudem & prejudicium quicquam interea statuere liceat: Altera vero si acerbis illis contentionibus, quibus hactenus & verbis inter se rixati sunt *Theologi* & scriptis, silentio tandem finis imponatur, ut ejusmodi

modi diſputationibus exploſis, *chriſtiana charitas* & animorum fraterna conjunctio revocetur. Quod quidem *Sereniſſimus Rex Navarræ*, ab *Eccleſiis Gallicis* (a quibus hac de re rogatus eſt) tam ſuo quam ipſarum nomine bona fide præſtitum iri ſpondet.

Quod autem ad *Synodum* illam attinet, hęc etiam *Illuſtriſſimo Electori Segurius* noſter ſedulo ſignificabit, nos cum de iſta *legatione* mittenda cogitavimus, ad *Eccleſiæ* pacem & tranquillitatem adeo neceſſaria mentis oculos ſtatim in optimum illum *Principem* defixiſſe, cujus ſcilicet prudentia freti, & ſumma illa qua pollet apud reliquos *Imperii Ordines* gratia & autoritate, ſed præſertim ſingulari pietate, & ingenii dexteritate, concordiam illam, quam inter Eccleſias quærimus, omnibus veſtigiis indagari, & tandem obtineri poſſe cenſuimus. Hoc enim videri *Saxoniæ* familiæ fatum, aut potius ſummo *Dei* beneficio peculiare

culiare ornamentum, ut quemadmodum ex ea primi illi *Eccleſiarum Vindices*, & ipſarum libertatis adverſus *Tyrannidem Pontificiam* aſſertores extiterunt, ita etiam ab eadem familia monſtrum illud funeſtum diſſenſionis jugulari debeat. Et concordia inter *Eccleſias* ſanciri, ſine qua in acerbiſſimam ſervitutem relapſuræ videntur.

Nulla vero ratione infeliciſſimum illud de *Cœna Domini* diſſidium, melius & facilius noſtro quidem judicio ſanari poſſe, quam ſi vetuſto etiam ab *Apoſtolicis* temporibus repetito more *Synodus* habeatur. Quod quoniam *Illuſtriſſimi Electoris Auguſti* ductu atque auſpicio potiſſimum confici poteſt, orare nos iterum, ut tam pio & ſalutari operi manum admoveat, & oblatam de *Eccleſia* bene merendi occaſionem arripiat, neve hoc decus & pietati ſuæ debitum & ſingulari familię Privilegio, ſibi de manibus eripi patiatur.

Non

Non esse nos ea pervicacia, aut in tuendis nostris opinionibus tenacitate, ut si *concilium* ineatur meliora monentibus fidem abrogare velimus. Imo paratos esse omnium animos ad concordiam ineundam, & ea dogmata suscipienda, quæ *verbo Dei* consentanea futura sunt.

Quosi nos alii *Zwinglianos*, alii *Calvinistas*, *Sacramentarios* plerique vocant, perperam id quidem fieri, & nullo nostro merito, cum in *Christi* solius verba juraverimus, nullius Sententiæ addicti, nisi quatenus veteris & novi fœderis doctrinæ congruit, quod si ab ullius mortalis nomine adoptanda nobis esset appellatio, potiori utique jure *Lutheranos* vocatum iri, cujus sane nominis invidia & odio cum laborarent *Galli*, infiniti prope per sexaginta annos cæsi, æquuleis admoti, & omni genere crudelitatis extorti, præclarum *Doctrini Christiana* quam a *Luthero* primum acceperant, testimonium ediderunt, & sanguine suo

suo per *Dei* gratiam obsignarunt, ut vere a nobis asseri possit, plures popemodum *Martyres*, quos *Lutheranos* tunc temporis vocabant, *Galliam* edidisse, quam reliquas omnes totius *Europæ* Regiones.

Lutherum ab *Ecclesiis Gallicis* ut ipsarum in *Christo* parentem agnosci, quod illius ministerio veritas primum e latebris eruta sit: Ejus vero doctrinam & eruditionem adeo a nostris amari & suspici, ut unum illum, repetita ab *Apostolorum* seculo memoria fuisse existimarent, qui scriptis suis & laboribus plurimum *Ecclesiæ* contulerit.

Qui nostro seculo florent, & *Helveticam* sive *Gallicam* confessionem tuentur, acerbius quidem & odiosius infelicissimam illam de *Cœna Domini* disputationem attigisse, sed ex aliis plerosque hac etiam culpa non carere. Verum non decere nos, propter unius aut alterius acerbitatem, perpetuis inter nos dissensionibus

nibus flagrare, & *Ecclesias* integras privatorum odio pręgravari.

Plerisque in *Germania* pręsertim in e vulgo ita de *Gallicarum Ecclesiarum* doctrina persuasum esse, quasi erronea sit, & quaIibet heresi vel etiam *Pontificia* longe deterior, qua in re nobis injuriam insignem fieri putamus, & aliis plerisque nationibus exteris. Unde fit ut palam quales simus testari cupiamus, & si erremus ex *verbo Dei* doceri.

Controversiam de *Cœna Domini* non adeo difficilem ut *Synodo* dirimi nequeat, duobus potissimum argumentis colligi. Prius est, quod cum tria sint quę in hoc negotio spectentur, *Symbolum* scilicet, res exhibita, & fructus quem inde percipimus, in tribus illis omnino inter nos conveniat, fatemur enim omnes panem & vinum esse *Symbola, corpus & Sanguinem Domini* rem exhibitam, fructum vero istum cum *Paulo* statuimus ut fractio panis & vini sit *corporis & Sanguinis Christi communicatio.* Quod

Quod autem ad perceptionis modum (in quo hæremus) supernaturalem eum esse & spiritualem omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie non nulli querunt, plagas illas disptationum & controversiarum infœlices nobis pertexuerunt. Hac vero de re minus solicitos nos esse debere, vel ipsius *Lutheri* testimonium admonet, qui in Epistola ad *Helveticas Civitatis*, se de modo laborare negat, dum de præsentia constet.

Alterum argumentum est, quod nunquam illius dissensionis concordia serio quæsita est, quin *Dominus Christiano* illi conatui benedixerit, ut ex colloquio *Lutheri* & *Zwinglii* anno 1529. & triennali illo 1536. 1537. & 1538. apparet, quorum utroque inter primarios *Theologos*, *Ecclesiasque Germanicas* & *Helveticas* concordia sancita est, & de *Cœna* negotio consensus in formulam redactus, utriusque partis subscriptione comprobatam. Nam

Nam quod ab illa pace & *Ecclesiarum* concordia, utrimque postea discessum est, importuna quorundam acerbitate mœrente (ut fertur), ipso *Luthero* & bonis omnibus factum est, quod ne denuo contingat (si conciliatio inter nos instituatur), *Principum* autoritate & *Magistratuum* officio præstari potest. Cum sit eorum muneris, ejusmodi contentionibus, litem ex lite serentibus, obviam ire, e quibus ut plurimum, discordiæ facile oriuntur, ędificationis vero ad *Ecclesiam* nihil; cum igitur dissidii istius conciliatio, res sit uti nobis quidem videtur & per se facilis, & omnium judicio *Ecclesiæ Christianæ* pernecessaria. Hujus vero conficiendæ spes omnis & expectatio, in *Illustrissimo Saxoniæ Duce* reposita, a cujus voto & exemplo, hac præsertim in re alios *Germaniæ Principes* & *Ordines* pendere ferunt, optimum illum *Principem*, & de *Ecclesia* tot nominibus bene meritum hortabitur *Segurius* noster,

ut autoritatem sibi a *Deo* concreditam, ad componendas exitiales illas dissensiones conferat, neve præclarissimis suis titulis, longe Augustius, & ad omnem posteritatis memoriam diuturnius nomen pacificatoris *Ecclesiarum* deesse patiatur.

Quoniam autem frustra pacem domi quærimus, nisi externos illos communis adversarii *Pontificis Rom.* conatus, & apertas in perniciem nostram insidias depellamus: Idcirco artes illas & nefarias *Antichristi* coitiones *Illustrissimo Duci* optime notas significabit, quibus veritatis lucem filius tenebrarum extinguere nititur.

Monebit igitur imprimis, quotquot per *Hispaniam & Italiam* in suspicionem emendatę *religionis* veniunt, eos omnes *Cruci* subditos *Antichristi Rom. Tyrannidem* & *inquisitionis* atrocitatem & sævitiam experiri.

In Gallia, Concilii Tridentini promul-

mulgationem & *Inquisitionis* constitutionem a *legato Pontificis* adversus *Senatus* intercessionem, & *Ecclesiæ Gallicanæ* libertates urgeri.

Jesuitarum artibus *Anglorum* animos ad defectionem sæpe numero impulsos, ut nisi faces illæ sapientissimo *Reginæ* consilio extinctæ fuissent, clandestini illi coitus & nefariæ conjurationes in ipsius caput, & *Regni* perniciem erùpturæ viderentur.

Quod ad *Scotos* attinet iis artibus *Serenissimi Regis* animus a *Pontificiis* sæpe numero tentatus est, quibus nisi *Principis optimi*, & a teneris annis *Christiana* pietate imbuti laudabilis indoles, & *sapientissimæ Angliæ Reginæ* consilia obstitissent, bellum inter *Angliam* & *Scotiam* non sine summo *Ecclesiarum* utriusque *Regionis* discrimine & *Pontificis Romani* voluptate exarsurum fuerit.

Belgarum vero profligatæ res & ab omni exterorum auxilio imparatissimæ, prementibus *Hispanorum* copiis, & in dies crescentibus impa-

res brevi collapsuræ videntur, certo scilicet florentissimarum *Eccl. Pont. crudelitati* subigendarum excidio.

In *Helvetia* porro *portenti illius Romani* largitionibus & versutia, & turbulentissimis *Jesuitarum* concionibus, incendia belli civilis propemodum excitata sunt, ut scilicet *Bernates emendatæ religionis* cultores *Sabaudiæ Ducis*, in eos ex composito irrupturi, armis obruerentur.

Suecorum autem *Ecclesiæ* restitutis in *Suecia* Ritibus *Pontificiis*, & *Jesuitis* intima *Regni* penetralia pervadentibus in assiduo metu & dubitatione versantur, ut scilicet stellionum illorum fraudibus, aliquid tandem in perniciem suam statuatur. Quamquam hoc sibi de sapientissimo *Suecorum Rege* boni omnes pollicentur, ut brevi locustarum illarum versutias sit perspecturus & *Regni* sui finibus exacturus.

Moscovitarum vero *Religio* quantum a ritibus *Romanis* discrepet omnibus perspectum est. At *Pontifex*

Ro-

Romanus dum se pacis arbitrum inter illos & *Polonum* gerit, hoc sibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, ut *Moscovitam* suæ *Tyrannidi* & cultui subjiceret. Quod ab eo tandem impetratum ferunt. Hoc sane constat, hunc unicum scopum illi propositum fuisse.

Quod ad *Germaniam* ipsam spectat, in qua potentissimorum *Principum* cura & pietate, tutissima *Ecclesiis* præbita sunt hospitia, nihil non *Pontifex* molitus est, ut tranquillitatem illam & Alcedonia conturbaret; Quod sane apertius est, quam ut longiori explicatione indigeat.

In tractu vero *Coloniensi*, eas nuper adversus *Illustrissimum Electorem* tragædias excitavit, quorum *Catastrophen*, nisi in caput suum depellatur, in totius *Germaniæ* perniciem exituram sperat.

Ex iis satis constat, nullam totius orbis *Regionem*, cui *verbum Divinum* illuceat, intentatam relinqui, omnesque *illius Monstri* vires & co-

natus ad extinguendam *Evangelii lucem* conferri. Quod ut facilius fiat, Principum eorum, qui superstitionem & *Idolatriam* fovent conventum ordinarium sive *Senatum*, per ipsorum *Legatos Romæ* nuper conflavit, in quo, præside ipso Pontifice, de firmanda & propaganda *Tyrannide Romana* delendisque per orbem *Christianum Ecclesiis*, seria & quotidiana disceptatione agitur.

Quæ omnia, cum a nobis diuturna cogitatione versarentur, *Illustrissimum Saxoniæ Ducem* nobis compellandum putavimus ac per eundem *D. Segurium* exhortandum, ut (quod *reip. Christianæ* ac totius *Ecclesiæ* amplificationi cedat) conjunctionem aliquam animorum & consiliorum inter *potentissimam Angliæ Reginam* & *Serenissimum Regem Daniæ* ac *Illustrissimos Germaniæ Principes* institui curet; &, si res ita ferat, societatem auxiliorum, non ad inferendum quidem Pontifici *Romano* bellum, sed ad propulsandam col-

collatis operis & communicatis consiliis injuriam, ne separatim, ut hactenus, adversus tot inimicorum conjunctas *Pontificum* authoritate consultationes, & conatus congrediamur, & sejunctis atque separatis consiliis rem administremis, & adversariorum illa mole, alii post alios obruamur, ac dum singuli pugnamus, vincamur tandem universi. Huic porro societati, nos ipsi nostrosque omnes lubenter adjuncturi sumus, ac fortunas omnes vitamque adeo ipsam (si opus sit) in publicam utilitatem, ad propagandam *Dei* gloriam profusuri.

Porro cum singulare quodam & immortali *Dei* beneficio duo jam *Archiepiscopi Colonienses* ab illa *Antichristi Romani Tyrannide* defecerint, & vindicatam a superstitionibus *religionem* amplexi sint; qua re nihil ad amplificandam *Evangelii* lucem, vel ad proferendos *Ecclesiarum fines* & ad *Imperii* statum in bonorum & vere piorum favorem

componendum, propter eximiam *Electoratus* dignitatem, utilius optari potuit, temporis autem calamitate, & afflictis *Ecclesiæ* rebus effectum est, ut *Illustrissimus Hermanus* dignitate sua & fortunis exutus, in optima causa succubuerit; *Illustrissimum electorem Saxonicum* idem *D. Segurius* hortabitur, ut de defendendo *Illustrissimo* Principe *Domino Truckfesio Electorali* dignitate insigni, & *religionis* vinculo sibi conjuncto, propter *Dei* nomen ab hostibus impetito, apud reliquos *Germaniæ Principes* & *Ordines* agat, ne scilicet hanc notam fœlicissimo suo sæculo inuri patiatur, ut *Sacri Romani Imperii Electorem*, *Pontifici Romano*, e dignitate sua exturbare, & miseris modis vexare liceat, alium vero sibi addictum pro suo arbitratu substituere.

Omnium porro animos ab eventu *Coloniensis* belli suspensos, cui si secundus, & ex piorum voto contigerit exitus, optima bonorum omnium

mnium animi expectatione erigentur. Sin & egregius ille *Princeps* destitutus, & *augustissima Septemviralis dignitas Pontificis Romani* ludibrio & libidini exposita fuerit, bonorum omnium animi concident, & adversariorum crescet audacia, cæteros vero tum *Electores*, tum *Inferiorum Ordinum Principes*, quibus nondum illuxit *veritas Evangelica*, a simili instituto infœlicissimum exemplum absterrebit, neque fortassis unquam tam oportuna dabitur occasio, constituendæ ex eorum votis & rationibus *reipub.* quorum interest emendatam & puram *religionem* quam tutissimo loco esse, ac *Pontificis* artes & autoritatem, ab *Imperii* finibus procul arceri.

Quoniam autem novimus, quanti sit ponderis & momenti negotium illud *Coloniense*, quamvis ab istius belli finibus & crepitu longo itineris intervallo dissiti simus, & alioquin diuturno belli civilis *Gallici* labore & expensis pœne exhausti. Quamvis

denique pacis publicæ beneficio in otio & tranquillitate cum dignitate vitam degere possimus. Tamen eidem *D. Segurio*, gemmarum, pecuniarum, & supellectilis aureæ vim aliquam non aspernendam credidimus, quam scilicet in *Germaniam* asportet, & aliquo tuto loco deponat, ut ex usu *Ecclesiarum*, præsertim *Coloniensum*, ac pro ut occasio postulabit, insumatur, si modo *Illustrissimi Germaniæ Principes* in fœderis illius consortium, & consiliorum societatem convenire velint, ac eorum unusque, pro facultatibus suis, ad causam communem symbolum suum conferat. Quod si ab illis pręstetur, non modo pecuniam illam & supellectilem, sed reliquas omnes facultates & fortunas nostras, atque adeo vitam ipsam, in salutem *Ecclesiarum* parati sumus impendere. Quod *Illustrissimo Saxoniæ Duci Dominus Segurius* significabit. Et ut earum rerum omnium, quæ hoc scripto continentur rationes

matura deliberatione iniri possint, ab *istius Celsitudine* postulabit, ut conventum aliquem in *Germania* haberi, & de communi *Illustrissimorum Principum* consensu, curet, & diem ab ipsis præscribi, quo *Serenissima Angliæ Regina* & *Serenissimi Regis Daniæ legati*, una cum *Illustrissimorum Germaniæ Principum legatis* adesse possint, cui etiam conventui per *legatos* nostros minime defuturi sumus.

Porro hoc etiam *Illustrissimo Electori* nostro nomine significari cupimus, non frustra, neque temere a nobis ineunte superiore anno susceptum fuisse *Germaniæ* perlustrandæ institutum ut concordiæ & conjunctionis alicujus rationes quæreremus, cum in utraque illa *Ecclesiarum* salutem & incolumitatem (quę nobis suprema lex esse debet) verti agnoscant omnes, absque illis vero servari non posse adversus *Antichristi* molitiones, nemo sanæ mentis putet. Utriusque vero negotii perficiendi

ſpem omnem in *Illuſtriſsimo Electore* conſtitutam eſſe, ad quem velut ad cynoſuram nautę, ita omnes tum *Imperii Principes*, tum exteri oculos referunt, & ſine quo nihil harum rerum recte confici poſſe cenſent. Rogare nos igitur & per *Dei* nomen obſecrare, perque ipſius & noſtrorum omnium ſalutem, cum *Eccleſiæ* proſperitate conjunctam, ut univerſam *Eccleſiam Chriſtianam*, in ſummo diſcrimine, fidem *Illuſtriſsimi Principis* obteſtantem, amplecti velit, & e mediis diſſenſſionum fluctibus eruere. Sic vero apud ſe cogitet, latiſſimum quidem eſſe virtutis ipſius & pietatis campum, uberiorem vero *religionis* & pietatis exercendæ materiam atque ſegetem nullam eſſe, quam in hoc negotio, quod ſi *Illuſtriſsimi Electoris* autoritate promoveatur, non dubitare nos quin omnium bonorum certatim ſtudia& vota hoc præclariſſimo facto promeriturus ſit, & *Dei* benedictionem certiſſimam & ampliſſimam experturus.

XXX.

X X X.

R E S P O N S U M.

Quod Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini Henrici Regis Navarreni, &c. Legatus generoſus & nobilis D. JACOBUS Segurius Regiæ domus præfectus & Princeps interioris Conſilii ab Illuſtriſſimo Principe ac Domino Domino Auguſto Duce Saxoniæ, &c. Domino noſtro Clementiſſimo ad Serenitatem Regiam perferendum tulit.

SEreniſſimo Regi Navarreno, Illuſtriſsimus Saxoniæ Dux Elector, pro egregia ſingularis erga ſe benevolentiæ ſignificatione gratias offi-

ciose & amanter agit, ac *Serenitati ejus Regiæ* amorem mutuum, obsequium, operas & omnia *Navarreni nominis* studiosissimi *Principis* officia prolixe pollicetur. Idque etiam præsenti declaraturus erat, si profectione in *Germaniam* suscepta in ditione *Illustrissimæ excelsitatis ejus Serenissimus Rex* pervenisset, etsi enim tantum *Principem*, parum magnifico hospitio, neque ita splendide & laute, ut *pro dignate Regia* par est, accipere forte potuisset, tamen non dubitat in voluntate & observantia *Excelsitatis suæ Serenitatem Regiam*; pro bonitate naturæ plane acquieturam fuisse.

Ut autem propositum instituti itineris *Germanici* summum *Serenitatis Regiæ* erga rem *Christianam* studium ostendit, ita ejus profectionis commutata ratio, eximiam pietatem in *Patriam* testatur. Hinc enim non minus *Serenitatem ejus Regiam*, de pace domi prudenter conservanda solicitam esse perspicuum fit.

Quo

Quo in genere etsi *Illustrissimus Saxoniæ Dux Elector* libenter fatetur, non se tantum videre, quantum *Rex Prudentissimus* prospicit, tamen ut postulationi & voluntati *Regiæ* morem gerat, de cogenda Doctorum *repurgatæ religionis* veritatem profitentium *Synodo*, ea quę hoc tempore sibi in mentem veniunt, simplici, aperto & optimo animo monere placuit, non quod *piissimi Regis* consilium aspernetur, aut in re tanti momenti quicquam præscribat; sed ut considerandi etam amplius de negotio hoc arduo occasionem præbeat, multas enim & varias difficultates *Illustrissima ejus Celsitudo* sciens silentio præterit, quę *Synodo* ejusmodi congregandæ posse objici videntur, ac tantummodo in Historiam *Consilii Niceni* primi illius, quod reliquis sanctius est habitum, intueri & hominum atque controversiarum illius temporis conditionem, varietatem, agendi modum, rationem & exitum expendere, eaque omnia, cum præ-

senti rerum statu componere volens, ancipiti cogitatione distrahitur, an ejusmodi *Synodus*, qualem cupimus congregari omnino possit, & ut maxime possit, an conventum hunc *Ecclesiasticum* finis ille quem expetimus sit consecuturus.

Fuit sane unicus illo sæculo *Imperator Constantinus Magnus*, cui totus *Christianorum* orbis paruit, ita ut in convocanda *Synodo* minus fuerit impedimenti & in coërcenda hominum contentiosorum petulantia ea potestas, quam declinare & evitare nemo posset. Quamquam autem congregatio illa omnium præcipui nominis *Episcoporum* expeditior, & definitio rei controversę propter *Autoritatem Imperatoriam* successit fœlicius, tamen neque satis firma, neque talis *Ecclesiæ* pax contigit, ut non etiam adhuc vivente ipso *Constantino* certamina & rixæ *Episcoporum*, ita periculose recrudescerent, ut ad inrfirmandum *Canones Nicenos Episcopi* multi *Antio-*

chia

chiæ convenirent, & huic *Synodo* contrarium *Concilium Sardis* coiret, cui deinde conventus *Philippensis* opponeretur, re, *Synodorum* multiplicium, sibique invicem adversantium, acerbissimis altercationibus eo usque exagitata, ut *Pholini* tandem impius error nasceretur, & *Constantio Imperatore* necessitas ad indicendum *Concilium Sarminiense* offerretur in quo & *Nicenæ* & *Sardicæ Synodi* pia decreta labefactata & tres *Christianæ* fidei formulæ præscriptæ fuerunt: quæ non modo maximas in *Repub. Christiana* turbas dederunt; Sed occasiones etiam prębuerunt, ut ad extremum *Ecclesiæ Orientis* ab *Occidente* disjungerentur.

Tantam autem rerum perturbationem & confusionem, si illo tempore, quo summa rerum penes unum *Principem* fuit, & pietatis *Christianæ* studium ardentius extitisse, est credibile, conventus illi *Synodici* pepererint. Quid hoc exulceratissimo

ratissimo sæculo, quo omnis *Christiana* charitas in hominum cordibus refrixisse videtur, fore existimandum est? Quamobrem nostra ætate quidam prudentia & pietate prętantes *Principes*, ut *Ecclesiæ* rixarum procellis laboranti subvenirent, placida inter paucos de capitibus controversis colloquia instituerunt, si forte disputationibus in angustum contractis eventus pacificis ipsorum votis responderet. Quanquam autem ab ejusmodi congressibus aliquando ita discederetur, ut pacati omnium animi putarentur, tamen res ipsa loquitur, contentiones in animis collocutorum pristinas respirasse potius, quam extinctas aut sopitas fuisse. Sic plane ut congressus illi pio Consilio Principum instituti, ad tollendas dissensiones, parum aut potius nihil profuerint: verum etiam occasiones extiterint ut majoribus odiis hominum animi inflammarentur & periculosissimæ voluntatum distractiones orirentur.

Exta

Extat adhuc formula compositionis in negotio *cœnæ Dominicæ* conscripta *Witibergæ*, *anno Salvatoris nostri* 1536. ab iis qui tractationi hujus controversiæ ab utraque parte adhibiti tunc fuerunt, quam etiam nunc ut piam & orthodoxam *Ecclesiæ* harum Provinciarum amplectuntur & profitentur, a qua utinam non discessissent ii quorum importuna acerbitas, ut recte *Serenitas Regia* in mandatis suis judicat, concordiam salutarem disturbavit.

Quæ cum ita sint etiam atque etiam *Illustriss. Saxoniæ Dux* cavendum censet, ne quid porro committatur ejusmodi, unde majorum scandalorum occasiones nascantur. Neque tamen hæc ideo commemorat, ut aut rationibus iis, quæ a Domino *Legato* redditæ sunt adversetur: aut quod ab omni concordiæ piæ & salutaris conciliandæ studio alienus videri debeat. Sed cujusmodi tam in veteri *Ecclesia*, quam in exordio *repurgatæ doctrinæ cœlestis*

nostra quoque ætate incommoda conventus istos Theologicos excęperint, in memoriam ideo revocat; ut & suam ipsius & aliorum curam acuat diligenter cogitandi, de constituendæ in Ecclesia diversarum partium reformata concordiæ remediis ejusmodi, quæ & periculi minus, & rei bene gerendæ plus spei polliceantur. De quibus hoc loco & tempore ideo constituere certi nihil potest, quod in deliberatione, sibi cum aliis *Principibus Evangelicis* communi, suam solius sententiam valere non vult. Quamvis enim non obscure, tum ex mandatis *Regiis*, quam literis a *Domino Legato* redditis animadverti possit: Plerosque *Germaniæ Principes* apud quos eandem ipse causam egit, videri rem ad arbitrium *Illustrissimæ Excelsitatis* ejus rejecisse, tamen honore hoc vel benevolentia erga se reliquorum, vel respectu ejus personæ, quam in *Imperio Germanico* gerit, sibi habito, neque ad pręripienda

vota

vota aliorum abuti debet, neque sententiæ Principatum ita sibi arrogat, ut solus statuere possit aut velit, quod consentiente omnium voluntate & voto unanimi rite decernendum esse intelligit. Imprimis itaque suum hac de re consilium cum *Illustrissimo Principe* ac *Domino Domino Ioanne Georgio Marchione Brandenburgensi & Sacri Romani Imperii Archicamerario* communicabit, & nihil in se desiderari patietur eorum, quæ piæ pacis & concordiæ salutaris amantissimum *Principem* facere par, æquum & fas est. Ex quo & hoc intelligi potest, cum deliberatio hęc omnium gravissima, non ab unius aut alterius tantum voto pendeat, sed cum pluribus suscipienda sit, ejusmodi ad hanc rem recte conficiendam temporis spacium necessario requiri, ut nullus hac quidem in re, dies certus prę-finiri possit, quo ad optatum exitum perduci speretur; curæ tamen erit *Illustrissimo Saxoniæ Electori*, quantum

tum quidem in se est, ne quæ non necessaria mora injiciatur.

Quod denique de artibus & technis *Pontificiis* quibus *antichristiana Tyrannis*, *Dei* præpotentis singulari misericordia pene collapsa, restauretur, & de negotio *Coloniensi Serenissimus Rex Navarrenus* fideliter monet: ex ea quoque parte singularis *Serenitatis Regiæ* & præclara de re *Christiana*, atque tota posteritate bene merendi voluntas elucet, ut autem obscurum non est quo magis non jam modo sed & antea *Pontifex Romanus*, vi & dolo, veritatis cælestis studium & hujus pios Cultores avertere & opprimere conatus est, eo magis magisque Tyrannicum ejus *Regnum* concidisse, & divinitus semper fuisse imminutum; Ita *Illustrissimus Saxoniæ Dux* nihil plane dubitat, utrumne ille omnem Acheronta moveat, nunquam tamen Gigantis istius cælo bellum inferentis sceleratos conatus fœlices futuros esse. Cumque *sacra Imperatoria*

Ma-

Majestas P*rincipes* aliquot *Germaniæ* ad diem nonum mensis *Martii* proximi R*oteburgum* ad *Tuberum* convocavit, ut deliberent, quibus commode rationibus tumultus ad R*henum* moti componantur. Equidem *illustrissimus* S*axoniæ* D*ux* commonefactionis hujus a R*egis Imperio Germanico* amicissimi fidelitate profectæ memor erit, & rebus laborantibus pro virili ita consulere conabitur, ut neque pietati, quam *patriæ* & hujus civibus debet, neque fidei, qua *Imperio Germanico* obstrictus est, defuisse ulla in parte videatur. Qua in re se aliorum quoque quietis & patriæ amantissimorum P*rincipum* suffragiis, studio & opera adjutum iri plane confidit,

Atque hæc sunt, quæ *serenissimo* R*egi Navarreno illustrissimus* S*axoniæ* D*ux Elector* cum significatione singularis erga S*erenitatem* R*egiam* observantiæ suę, per D*ominum Legatum* renunciari cupit, quem & ipsum ob insignes animi & corporis dotes,

dotes, sua benevolentia sponte prosequitur, & benigne complectitur.

Signatum Augustæ Misnensium prid. Non. Feb. anno 1584.

XXXI.
EPISTOLA
ELECORIS SAXONIÆ
ad
HENRICUM III.
GALLIÆ REGEM.

Augustus Dux, Saxoniæ Elector.

Ex iis literis quibus *Serenitas Regia vestra*, nos suscipiendam curam pacis publicæ nuper amantissime hortata est, facile perspeximus quam vehementer de incolumitate *Imperii Germanici* solicita est, unde tanto referendę gratię studio incensi fuimus, ut pari solicitudine pro dignitate & commodis *Serenitatis vestræ Regiæ* afficiamur.

Quare

Quare cum hoc tempore ad nos deferretur, esse quosdam malefe-riatos homines, qui *Serenitati vestræ Regiæ* tranquillitatem *Regni* sui in-videant, & hoc agant, ut *Gallia* pa-cificis quondam studiis florentissi-ma, in quiete sua, in qua respirasse non nihil videtur, turbata, bellorum civilium turbis iterum involvatur, faciendum nobis pro nostra erga *Se-renitatem vestram* observantia puta-vimus, ut hac de re ad eandem scri-beremus, non quod nobis ullum esset dubium, quin *Serenitas vestra Regia* præclara illa & salutaria sua edicta, quibus Pax *Galliæ* nuper re-stituta fuit, firma & inviolata esse velit. Sed quod metueremus, ne irrequieti isti homines, qui nihil aliud cupiunt, quam ut cum perni-cie & interitu *Potentissimæ nationis Gallicæ*, *Pontificia Tyrannis* restau-retur, *Serenitatem vestram* invitam intestinorum bellorum calamitati-bus implicent, eoque tandem redi-gant, ut ad *Imperium* & nutum *Ro-*

mani

mani præſulis ea facere & ſtatuere cogatur, quibus & ſalus animarum, & omnes ſubditorum fortunę evertantur; pro noſtro igitur perpetuo erga *Sereni. veſtram* R*egiam* ſtudio, etiam atque etiam fideliter monemus, rogamus & obteſtamur; ne aures R*egiæ Serenitatis* ſeditioſis perditiſſimorum hominum vocibus pateant, neve incitari ſe ab his patiatur, contra ſuos fideles & pietatis veræ amantes cives, qui omnia hactenus paſſi ſunt, ut & *Deo Opt. Max.* honorem ſuum & *Serenitati* R*egiæ veſtræ* obedientiam & ſubjectionem debitam præſtarent, quos peſtes iſtæ hominum *Pontificiæ* ob hanc ſolam cauſam oderunt, & funditus extirpare volunt, ut exhauſtis & proculcatis R*egni Gallici* viribus, *Serenitas* R*egia veſtra*, cum ſumma ſua tam rerum, quam exiſtimationis, & quod caput eſt, animæ etiam jactura, inſatiabili P*ontificis* R*omani Tyrannidi* & libidini exponatur, qui P*ontifex*, cum hactenus R*eges* &

Prin-

Principes orbis Christiani præstigiis & superstitione circumventos sub pedibus suis presserit, adeoque omnes omnium Provincias compilaverit, ægerrime fert, potentiam suam ac effrenem omnia pro arbitio in re *Ecclesiast.* & *publica* statuendi licentiam, attenuari & imminui. Hujus igitur jugo Tyrannico, ut & se & *Regn.* suum eximat, seque in libertatem suam ex turpissima servitute, magno & excelso animo vindicet, eosque qui diversum suadent, non aliter atque manifesto deprehensos hostes *dignitatis Regiæ* & *reip. Gall.* & præsentissimas pestes aversetur & abigat, ita nos fideliter *serenit. vestram Reg.* hortamur & rogamus, ut suadere nihil melius possimus, si nostra & *Patriæ* nostræ dignitas summa & salus ageretur.

Id si fecerit *Ser. vestra Reg.* & sibi & *Regn.* suo rectissime consulet, adeoque *Deo præpotenti* gratissimum faciet, & non tantum in hac vita rebus abundabit omnibus, sed hinc etiam aliquando discedens, sempiterna be-

atitudine fruetur & nominis sui gloriam, celebritatem & immortalem famam toti posteritati commendabit. Quæ omnia *Ser. Regia vestra* ad salutem, tam animi, quam corporis & *Regni* sui incrementa perpetua, fœliciter evenire syncere optamus.

Datæ Augustę Misnensium III. Non. Febr. Anno 1584.

AUGUSTUS Dei Gratia Dux Saxoniæ Sacri Imperii Rom. Archimarescallus & Elector, &c.

XXXII.

HENRICUS Dei gratia Navarrorum Rex, Princeps Bearniæ, Dux Vindocinensis, Belmontensis, Albretensis: Comes Foxensis, Armeniacus, Ruthenensis, Bigoronensis, Marlensis, Petragoriensis, Vicecomes Lemovicensis. Illustrissimo Principi ac D. D. Julio D. G. Brunsvic. & Luneb. Duci. Cum

CUm nos ab ineunte ætate purioris doctrinę rudimentis imbutos ſuccenderit mira quædam & pene incredibilis cupiditas *Principes* eos inviſendi quorum opera *Deus* ad propagandam nominis ſui gloriam uſus eſſet, ut tam pio deſiderio noſtro ſatis faceremus, induxeramus ſuperiore anno in animum, nos itineri tam longo, tamque laborioſo committere, niſi piorum & prudentum virorum conſiliis paruiſſemus, qui judicarent ob noſtram abſentiam plus detrimenti longe *Eccleſias*, quæ Chriſti auſpiciis in *Galliis* ſunt collectæ, paſſuras eſſe, quam peregrinatio illa noſtra poſſet adferre commodi; Itaque ſubſtitimus tum & ad ea curanda quę ex re noſtrarum *Eccleſiarum* fore putaremus, tum etiam ut malum toti *Regno* imminens (ob nonnullorum hominum novis rebus ſtudentium, & creſcenti repurgatæ *religioni* invidentium impios conatus, atque adeo propter *Rom. Pontif.* inſidias) quantum poſſemus averte-

remus. Porro cum jucundissimo *Ger. Princ.* conspectu frui per publicas easdemque necessarias occupationes impediti fuissemus, neque consilia nostra de pace in *Ecclesiis* & *Galliis* stabilienda cum iis conferre potuissemus, quod proximum fuit faciendum curavimus. Ablegavimus igitur ad dictos *Ger. Princ. D. Segurium Pardilianum* virum honestissimo & nobilissimo natum loco, Domus nostræ & Secretioris consilii præfectum, dedimusque ei in mandatis, ut *Celsitudinem vestram* nostro nomine salutet, gratuleturque fœlicem rerum vestrarum statum atque *Ecclesiarum*, quæ sunt in ditionibus vestris tranquillitatem.

Quoniam autem omnium, multoque magis *Principum*, qui repurgatam a superstitionibus *Rom. Pontif. religionem* sectantur, interest ut quo arctioribus (religionis scilicet) vinculis obligati sunt, eo major inter eos sit amicitiæ necessitudo & benevolentiæ nexus, quem ea quæ concili-

anda

anda reſtat, inter noſtros opinionum diſſenſio abrumpere non debet, cum in precipuis doctrinæ articulis conveniat, communeſque habeamus adverſarios, *Celſitudinem V.* ut quæ ad *Eccleſiarum* noſtrarum reſtitutarum concordiam & ſecuritatem, doctrinę chriſtianæ unanimem conſenſum & non modo *Galliæ*, ſed etiam *Germ.* pacem publicam pertinent, animo expendere, cum aliis *Princip.* communicare, & totis viribus promovere velit rogamus, & *Celſitudo V.* rem fecerit *Deo* acceptam, toti *Europæ* ſalutarem & toti Provincię ſuæ in tanta animorum rerumque omnium perturbatione neceſſariam.

De nobis ſic ſtatuat volumus, nos omne officium noſtrum, ſummamque erga *Celſitudinem V.* voluntatem, erga vero *Rempublicam* ſtudium atq; operam reipſa ſemper declaraturos eſſe. Cætera ex *legato* noſtro *Celſitudo V.* intelliget, cui ut fides adhibeatur a vobis etiam atque etiam rogamus. *Deus Opt. Max. Celſitudinem veſtram*

diu incolumem ad nominis sui gloriam servare dignetur.

Neraei 15 Kalendas Augusti anno 1584.

Vester bonus Consanguineus
HENRICUS.
ALLIARIUS.

XXXIII.
RESPONSORIA Julii Brunsv. & Luneb. D. ad HENRICUM NAVARRÆ REGEM.

Serenissime atque Potentissime R*ex.*

LIteras tuas ad nos per *Jacobum Segurium* tuum *legatum* missas accepimus, eidemq; tuo *legato*, quæ abs te *Sereniss.* R*ex.* in mandatis habebat, coram intimis nostri consilii viris fecimus exponendi facultatem, cum invaletudine & compluribus aliis incommoditatibus impediti, audientiam

tiam in præsentia nos ipsi tribuere non possemus.

Cæterum ex iis mandatis (quemadmodum ex antea redditis tribus diversis abs te, *Serenissime Rex*, ipsi legato commissis exemplaribus, duorum quidem Generalium scriptorum ad *Electores Principes* ac *Ordines* universi *Imperii Rom.* vere nostræ *religionis* addictos pertinentium, unius vero singularis Epistolæ privatim ad nos scriptę) summa cum animi lętitia perq; libenter intelleximus *Religionem* nostram, *Ecclesiæ* tranquillitatem, foelicitatem & propagationem, itemque totius orbis *christiani* incolumitatem esse tibi *Rex Illust.* tantæ curæ, ut istas res prudenti & profundo, & maturo & sapiente consilio expenderes.

Agimus pro ea gratias *omnipotenti Deo*, & optamus ex animo, ut Idem omnipotentia sua te, *Ser. Rex*, in tam laudabili & pio zelo in posterum quoque conservare velit, ac confirmare, & acrem ad institutum hoc

tenendum industriam porro largiri. Quinimo complures alios summi loci *Proceres* & *Dinastas nominis christiani*, adhuc *Papismi* tenebris demersos, Illustres, clementes, & ad agitandas similes religiosas consultationes, utilissimaque proposita meditanda excitare dignetur.

Equidem ad nos quod attinet, fateri cogimur, & tibi, *Ser. Rex*, hoc assentiri, molitiones nimirum & conatus istos tuos non indecentes nec intempestivos, verum post opem atque benignitatem divinam fere unicam esse reliquam humani consilii rationem, qua ex *Dei verbo*, & juxta *Dei verbum Ecclesiæ Reformatæ* impendens a *Papa* jugum & ultimum exilium (quod ille jam parturiens extremis temporibus istis malis, & omnium rerum periculosissimo statu, summo studio totisque viribus machinatur) a se devellere valeant, & sese diutius adversus illud sustinere.

Optandum sane fuerat, non jam tantum eximium aliquid contra suscipi

ſcipi & apparari, verum id etiam longe ante accidiſſe, priuſquam nobis adverſa pars, *Pontifex* & ejus aſſeclæ, tot tantaſque facultates & occaſiones ſurripuiſſent.

Quam ob rem nos, quamquam ex *Elect.* & *Princ.* fere ultimi ad *reformatam religionem* acceſſimus, vehementer tamen cupimus huic cum maxime ſalutari, tum neceſſario negotio, commodis omnibus in locis promovendo (quantum in nobis) operam navare. Quo etiam animo bene multo abhinc tempore, adeoque pene ab ipſo noſtræ poteſtatis ac regiminis initio, multum in eo laboravimus, ut generalis aliqua *Synodus* cogeretur. Cujus habendę ut planior & expeditor via ſterneretur, ante ſeptem annos, benignitate *numinis*, magno ſumptu noſtro, crebris atque perpetuis interpellationibus, cauſam hanc eo uſque provexeramus, ut ſpeciali ſive *nationali Synodo*, inter aliquos affines religionis noſtræ *Elect. Princ. ac Status*, præſertim inter fini-

timos nostros atque vicinos, instituendæ jam adsignatus dictusque fuerit locus *Magdeburgum* ad *Albim*, illa nobis pollicitatione vicissim atque bona spe facta, futurum, ut in illa nostrorum hominum contentione, inter alia proponeretur etiam, consultaretur atque decerneretur, quomodo primo quoque tempore conventus universalis omnium nostrum qui veram & *christianam Religionem* colimus commodissime adornari posset ac indici, in quo universali conventu reliqui pauci adhuc inter *Ecclesias Reformatas* controversi *religionis* articuli ex *Dei verbo*, atque solido fundamento, componerentur, eoque pacto perniciosissimis dissensionibus, a nobis atque nostris ipsis, tandem aliquando finis inveniretur & statueretur.

Quibus autem objectis impedimentis res, quem volebamus successum, tum non habuerit, nos itidem post illud tempus, & quidem in hunc usque diem, cum ad absentes datis

variis

variis literis, tum apud pręsentes assiduis petitionibus, colloquiis habitis, aliisque rationibus & viis frustra tentatis, haud quicquam in hoc negotio effecerimus, probe nobis cognitum est, ac vere graviterque dolet *Diabolum* in suis membris tantum posse, ut non ipsi tantum alieni sint, ac prorsus abhorreant a justa homineque *Christiano* digna & *Deo* grata pace, & Ecclesiæ tranquillitate, sed alios etiam adeoque maximos pios & laudatissimos & summos *Principes*, studio desiderioque pacis flagrantes, in tam religioso, tamque laudabili zelo ac proposito impedire, gaudeant & ab eo avertere.

Verum enim vero cum nos atque nostri hactenus (absit verbo vanitas & jactantia) nostro hac in re minime defuerimus officio, conscii nobis sumus coram *Deo* & hominibus, hac parte quidem esse excusatos. Ad alios autem quod spectat, id rerum prępotenti *Dei* committimus, & juxta *Reg. vestræ Maj.* piam commonefactio-

nem,&hortationem efficacem,penitus animo fixum habemus & decretum,tum in ea,quam ducente cęlesti gratia, semel cognovimus & hactenus sumus professi, divina solidaque virtute constanter perseverare, vires & facultates nostras universas ad eam conferre, tum etiam quantum ipsi possumus adjuvare, tuum hoc pium & utile ac necessarium cœptum, ut fœliciter eveniat.

Verum tamen quoniam in nobis sita non sunt,neq;ceteris *Elect. Princ.* ac *Ordinibus Sacri Imp.* quicquam nos anticipare cogitamus, aut ipsorum partes nobis arrogare, proin aliud aut amplius nihil huic rei commodare nunc poterimus, quam ut tuo, *Ser. Rex, legato* literas nostras,ad quosdam, eosque præcipuos, *Elect. & Princ.* nostram *religionem* amplexos, commendatitias impartiremur. Quod ut faceremus ipse nos appellavit ac petijt, ut exemplaribus coram demonstratur. Spopondimus insuper,causam hanc in omnibus a *Regia*

Maj.

Maj. V. propositis articulis, in locis oportunis, cunctis rationibus & viis, quas quoquo modo excogitabimus ac commodas inveniemus, pro virili promovere nos velle. Quod præstare certe parati sumus idque, *Ser. Rex*, ne in dubium ulla parte voces, etiam atque etiam rogamus.

Quę vero præterea cum tuo *legato* non nihil in præsentia respondendi declarandique gratia communicavimus, quod item convenerit inter nos statutumque sit, ubi munere legationis abs te demandato defunctus fuerit, ut ipse tum ad nos revertatur, qui & omnem rei gestæ exponet eventum nobis, & accomodatam ad illum ampliorem nostram atque absolutam expectet responsionem, id sicuti arbitramur, ipse tibi per literas sigillatim significabit.

Et quamvis id dubium minime nobis sit, quam amantissime tamen atq; diligentissime te *Ser. Rex.* rogamus, ut pium hoc & zelo singulari laudabile propositum constanter urgeas,

alteros ad ipsumque opus deducere nitaris, nec ab eo ulla ratione modove rursus abduci te sinas, idemque de nobis & amplius hoc etiam tibi polliceare, planeq; persuadeas, nihil esse neque futurum nobis curæ majori, quam ut negotium hoc fœlicem & optatum exitum sortiatur, & ut nos in arctiorem quandã & magis fidam consiliorum & rerum administrandarum tecum, *Illustris. Rex*, communicationem, & in constantem diuturnamque amicitiam tuam veniamus.

Eo quoq; nomine fidelis erga nos affectionis & benevolentiæ tuæ significatio, ac oblata facultas gratissima nobis extitit, & tales erga te, *Ser. Rex*, vicissim nos exhibebimus libenter ac studiose. Si porro exploratum haberemus, quibus *regionis* nostræ fructibus & discretis metallis, armis, equis, aut aliis quibuscunque rebus, ad hanc amicam communicationem & firmam fiduciam inter te, *Ser. Rex*, meque stabiliendam tuis usibus inservire

ac

ac tibi gratum fieri posset, iis omnibus prolixe tibi vellemus & libentissime gratificari, ab *Reg. vestra Maj.* peculiaria ei loco & terræ dona vicissim expectantes. Quod reliquum est, *Illustris. Rex*, ad grata quoque officia, benevolentiam, honorem, itidem & observantiam ac amicitam ostendendam promptos habes nos semper atque paratos.

Henricopolis 20. Decemb. Anno 1584.

Gratia Dei JULIUS Dux Braunsvicensis & Luneburgensis.

XXXIV.

RESPONSUM

Ducis Megapolitani ad

HENRICUM

NAVARRÆ REG.

EX literis *Ser. Princ.* & *D.D. Henrici Dei gratia Navarorrum Regis*, &c. Domini & consanguinei nostri, perpetua

perpetua fide & benevolentia colendi, tum ex iis, quæ *Regiæ ipsius Serenitatis* nomine vir nobilissimus *D. Jacobus Segurius* coram fideliter nobis exposuit, *Ser. ipsius* benevolum erga nos animum, quamvis de eo nunquam dubitaverimus, liquido perspeximus, nostrumque vicissim *Ser. ipsius* studium & officia, quovis loco & tempore deferimus. Neque profecto jucundius quicquam contingere nobis potuisset, quam si *Reg. ipsius Ser.* non minus quam *D. Legatum*, coram complecti & qualicunque officio observantiam nostram erga ipsum declarare nobis licuisset. Sed quia hoc dari non potuit, reliquum eo quo debuimus animo accepimus & in propensa *Regiæ ipsius Ser.* erga nos voluntate libenter acquiescimus. Neque laudari satis a nobis posse fatemur eam, quam deprehendimus in *Regia ipsius Ser.* de *reip. christiana* bene merendi cupiditatem: quod etiam post exantlatos tot pro asserenda *Evangelii luce* labores,

res,

res, totque perpessa pericula, hoc deinceps curare non gravetur, ut *Illustris. Ger. Princ.* animos ad defendendam miseram & multis in locis fere collapsam *Ecclesiam Christi* exemplo suo excitet, iisque autor & hortator sit cogendę *Synodi*, in qua collatis dissentientium judiciis, pia & perpetua concordia juxta verbi divini ἀναλογίαν iniri rursus atque institui possit. Etsi enim quantum ad nos attinet in ditionibus nostris puram *Evangelicæ Doctrinæ* veritatem, absq; ullo in *Ecclesiis* nostris docentium dissensu hactenus *Dei Opt. Max.* beneficio multos jam annos conservarimus, neque alteracationibus inquietorum hominum locum dari passi simus, & si quę forte discordiarum scintillæ quandoq; excitatæ sint, continuo exingui eas curaverimus ne in flamman excrescerent, merito tamen etiam a nobis & reliquis *Ger. Princ. Ser. Navarrorum Regi* non exiguam deberi gratiam agnoscimus, quod de futuris & prope instantibus

ac communibus totius *Europæ Ecclesiarum* periculis, multis & iisdem gravissimis de caussis consilia conferēda esse *Ser. ipsius* prudentissime moneat, quandoquidem ex iis, quæ proximis annis *Pontif. Rom.* instinctu & nęfariis technis, in florentissimis *Galliæ, Angliæ, Scotiæ & Sueciæ Regn.* itemque apud *Belgas*, *Helvetios*, & in media quoque *Germania*, imo etiam apud ipsos *Christiani nominis* hostes manifestos agitata sunt, & agitantur adhuc quotidie satis superque constat, vere timendum esse ne ulla totius orbis *Regia* cui verbum divinum illuceat, intentata tandem relinquatur; quapropter ut ad rem redeamus, non utile tantum sed prorsus necessarium esse existimanus, ut vel *Synodus* aliqua convocetur, vel si forte propter varia, quæ incidere possunt impedimenta, id factum nimis difficile sit, per aliquot doctorum simul ac piorum, publicęque tranquillitatis ac pacis amantium virorum congressum, quę adhuc super esse videntur
dissen-

diſſenſiones (*Principum* tamen autoritate interveniente) penitus tollantur. In quo quidem ut hactenus omnem ſuam operam impenderunt *Illuſtriſ. Ger.* & *Sacri* Rom. *Imp. Elect.* & *Princ.* unam & eandem *Evangelicæ doctrinæ* veritatem profitentes, id quod publica monimenta ſatis teſtantur; Sic etiam impoſterum eos communibus conjunctiſque operis (unius enim ſolius neque conſilium ſufficere, neque auxilium, quilibet per ſe facile intelliget) hoc acturos confidimus, quod ad ſtabiliendam concordiam & pacem conducere videbitur. In nobis vero nihil defuturum, quod ad promovendum hoc negotium utile eſſe exiſtimabimus, res ipſa *Deo* juvante docebit.

Cæterum ad periculoſum illud *Colonienſe* bellum quod attinet; non dubitamus *Reg. Ser.* vel aliorum literis, vel ſaltem fama certiorem factam eſſe de conventu *Rotemburgenſi* ad 9. diem menſis *Martii* proxime ſequentis, ea de cauſa ab *Imp. Majeſt.* jam indicto, cujus exitum talem fore

speramus, ut *sua Imp. Maj.* cum convocatis illuc *Elect.* & *Princ.* suum sit factura officium. Attamen si ulterius etiam preter expectationem nostram de negotio isto deliberandum fuerit, dabimus operam, ut, tam *Ser. Nav. Rex*, quam omnes boni nos veræ *Religionis* & pacis publicæ non amantissimos tantum, sed etiam ad communem defensionem, si opus fuerit, paratissimos esse intelligant.

Erit nunc hujus nostri responsi clausula, ut a *D. legato* petamus, ut in *Patriam* fœliciter reversus *Ser. suo Regi Domino* & consanguineo nostro charissimo propensissimæ voluntatis & observantiæ nostræ officia prolixe deferat, nosque sui etiam memoriam, cum benevolentia conservaturos non dubitet. In quorum omnium fidem hanc resolutionem nostram manus nostræ subscriptione sigilloque nostro muniri jussimus.

Actum in arce nostra *Gustroviana* 11. Kalend. Martii Anno 1584.

Udaricus Dei Gratia Dux Megapolensis, Princ. Vandal. Comes Suecinensis, Rostochii & Stargardiæ Dominus.

XXXV.

RESPONSORIA PRINCIPIS ANHALTINI AD Regem Navarræ.

Serenissime & Illustrissime Rex, Domine & consangunee observantissime.

ETsi omnino confidimus *Ser. vestram Reg.* per *legatum* ad nos missum posse de omnibus, quæ hic acta fuerint fieri certiorem, tamen ut aliquid literarum etiam ad *Ser. Reg. vestram* daremus, & rerum gravitas, & *Ser. vest.* Reg. quæ apud nos plurimum valet; autoritas requirere visa fuit. Tantas enim res a tam *Christiano Rege* suscipi, quæ non solum ad gloriam *Dei*, salutem R*eipub. Christiana* pacemq; publicam spectent, sed quæ etiam

etiam ruenti huic seculo, & ad terminos suos quasi fatales properanti, consilia & auxilia offerant ac spondeant, quis non nisi forsan omnino ἄστοργος ἢ ἄθεος summis evehendum laudibus, mirumque in modum prædicandum esse duxerit. Incredibili itaque voluptate affecit nos tanti *Regis* tantus zelus & ardor rerum tam gravium, quam divinarum, conatus hosce sanctos ac plena laude dignissimos, ut *Deus Opt. Max.* regat, ac prospero faustoq; successu gubernet, nostra cum omnium piorum votis conjungemus sedulo, & ipse irritas nostras non sinet esse preces, accedit ad hæc quod *Regii Legati* qui alias & generis splendore ac virtutum ornamentis est amplissimus, tanta erga nos fuit humanitas, tanta rerum conficiendarum industria, facundia, rerumque peritia, ac generosus candor, ut & literis & nunciis *S. V. R.* ornatos nos esse merito affirmare & prædicare possimus, pro quibus omnibus & officiis & beneficiis, nisi etiam per

literas

literas *S. V. R.* gratias ageremus, argui nos vel inhumanitatis vel ingratitudinis posse, testes nosmet ipsos libenter constituimus. Merito itaque probatur nobis totum, quod a *Serenitate vestra Regia* suscipitur, ac *legatis* dignissimis præclarissime perficitur negotium. Quale vicissim fuerit erga ipsos nostrum studium, & promovendi tam sanctos conatus desiderium, malumus *Ser. vestram R.* ex ipsis coram, quam nostris literis cognoscere, certo sibi *Ser. V. R.* persuasum habeat: omnia nostra in omni officiorum genere studia semper fore *Ser. V. R.* quam promtissima paratissimaque, & *Ser. V. R.* de nostra erga se voluntate, sibi hæc omnia polliceatur, quæ a fidelissimo amico ac studiosissimo quoque perfici, expectarique possunt. Nec unquam patiemur apud nos residere aliquid impedimenti, aut oblivionis, si poterimus honestissima *Ser. V.* R. consilia ulla ratione fovere & adjuvare, id quod reli-

reliquos status *sanæ religioni* addictos facturos quoque esse optamus ac speramus, nec intermittemus freti ea occasione, quæ a vestris *legatis* nobis ostensa est, sæpius *Ser. V.* R. compellare. Commendamus etiam nos ac familiam nostram, quam dignissimus *Legatus* vidit satis amplam, favori ac benevolentiæ vestræ: & præcabimur ut *Deus Opt. S. V. R.* ad nominis sui gloriam ac *Reip. Christianæ* salutem, multorumque incolumitatem conservet diutissime incolumem, roburque ac successus piis conatibus addat.

Dessaviæ 17. Calend Feb. Anno 1584.

S. V. R. *Addictissimus.*

Dei Gratia JOACHIMUS ERNESTUS Princeps Anhaldinus, Comes Ascaniæ, Dominus Sevestiæ & Bernburgi.

XXXVI.

XXXVI.

RESPONSUM WILHELMI HASSIÆ LANTGRAVII

Nomine datum.

QUæ *Sereniſſimus Princeps ac Dominus Dominus Henricus Rex, Illuſtriſſimo Principi ac Domino Wilhelmo Landgravio Haſſiæ* & *Domino noſtro Clementißimo* per *Regiæ dignitatis ſuæ Legatum Dominum Segurium* ſignificavit, ea *Celſitudini* ipſius ex *Regiorum mandatorum* formulis; tum ex ore ipſius *Legati* abundè relata ſunt.

Ad quæ *illuſtriſſima Celſitudo* ejus imprimis magnas agit gratias, pro eximia & ſumma illa in ſe benevolentiæ & amoris *Regiæ dignitatis* conteſtatione, & viciſſim *Regiæ dignitati* fœliciſſimum rerum ſtatum & omnia bona fauſtaque ex animo precatur.

Quod vero ad ſummam legationis

L nis

nis attinet, fateri quidem necesse est, res nostras in magno jam versari discrimine, cum *Antichristus Romanus* & ejus Satellites, non modo omnibus viribus veritatem oppugnet; sed contra etiam nos, quos tanto arctioribus vinculis jungi oportebat, eo calamitatis Theologorum nostrorum mutuis concertationibus simus adducti, ut nostris dissensionibus communi hosti ad stabiliendam suam *Tyrannidem*, viam sternamus. Quam ob rem *Illustrissima Celsitudo* ejus non potest non summopere probare verè *Christianam* illam & optimo *Principi* dignam solicitudinem, quam *Regia ipsius dignitas* de avertendis hisce periculis suscepit, eaque de re ad *sacri Romani Imperii Electores* ac *Principes*, aliosque, qui *Antichristi* jugum excusserunt, referri & per *legatum* suum agi voluit. Equidem *Illustriss. Celsitudo* ejus de *Synodo* cogenda, eaque de infausto illo *Eucharistia* certamine, amicè conferendo, ut penitus è medio

tol-

tolleretur à *R. dignitate* minimè dissentit, si modo *Theologi* utrimque non suam, sed solius *Dei* gloriam & *Ecclesiæ* suæ salutem, incolumitatemque spectarent. Sed cum partium studiis plerique teneantur & ingens animorum sit exacerbatio, exigua sanè spes est, hoc rerum statu ante universalem (quam *Deus* avertat) persecutionem, maximè *Zelotypis* ipsis adhuc vigentibus *Synodum* aliquam universalem & liberam cogi, multo minus autem boni quicquam inde expectari posse. Quod tamen ipsum, *dignitatem Regiam*, in tam pio sanctoque proposito nequaquam moretur. *Christianum* enim *Principem* omni cura & solicitudine invigilare decet, ut *Religio Christiana* sarta tectaque servetur, omnibusque opinionum dissensionibus ex *Verbi Divini* infallibili norma è medio sublatis, unanimis in doctrina consensus statuatur, successum vero nemo præstare potest, sed is *Dei Opt. Max.*

bonitati committendus est. Quamobrem si quid boni *Illustriss. Celsitudo ipsius* ad *Synodum* illam promovendam pacemque interea ex præscripta à *Luthero* & *Bucero*, Anno XXXVI. Concordia quam strictissime observandam adferre possit, non modo id sui officii esse agnoscit, sed etiam promtissimo animo, omnique ope & consilio se adfuturum spondet.

De fœdere vero sanciendo, ineundaque ratione, qua conjunctis omnium *Evangelicorum Principum* viribus communi hosti resisti possit, nondum *illustrissimæ Celsitudini ipsius* excidit, quid ea de re, ab hinc viginti & amplius annis sæpenumero actum sit. Usque huc tamen, quod hoc rerum statu id è *Repub.* esse paucis videretur, nunquam conveniri potuit. Quæ cum ita sint & *Illustriss. Celsitudini ipsius* cum præcipuis *Germaniæ* familiis antiquissima & hæreditaria quædam fœdera intercedant, utique necesse fuerit,

ea

ea de re ex communi *Confœderatorum*, aliorumque *instaurata Religionis Principum* Sententia statuatur: quodque ita placuerit, ab eo *Illustriss. Celsitudo ipsius* nullam secessionem faciet.

Denique quod *Regia dignitas* consilium sibi impartiri cupit, qua via *Ecclesiis Gallicis* ad pacatam vitam degendam provideri possit, utque *Regem Galliarum Illustriss. Celsitudo ipsius*, permoveat sed sibi apud *Christianissimum Regem* authoritatem, quę tribuitur non arrogat. Siquid tamen potest id omne ad *Ecclesiæ* Salutem liberaliter conferet. Non alia autem ad bellum vitandum melior succurrit ratio, quam ut *edicto pacificatorio* pactisque conventis per omnia stetur, *Regiaque Majestati* sua apud omnes constet authoritas. Eoque modo prorsus *Illustriss. Celsitudini ipsius* persuasum est *Regem Christianum* superiorum temporum calamitate in memoriam revocata, nihil hostiliter esse mo-

 litu-

titurum. Quod si vero præter spem omnemque expectationem adversi quidpiam accidat, non deerit tamen *Deo Opt. Max.*, quominus *Ecclesiam* suam vindicet, & ab hostium injuriis tueatur. Quem *Illustriss. Celsitudo ipsius* ardentibus votis precatur, ut *Serenissimum Regem Navarrorum*, totamque Familiam suam Illustrissimam incolumen ac florentem ad Gloriam sui Nominis diu conservare dignetur.

Datum *Cassellis pridie Calendas Januarii* Anno reparatæ salutis 1584.

WILHELMUS.
Landgravius Hassiæ.

XXXVII.

XXXVII.

Ad proposita jussu & voluntate Illustrissimi & potentissimi Principis & Domini, Domini Henrici Regis Navarreni, &c. Generosi ac Nobilissimi Domini, Jacobi Segurii suæ Majestatis Domui Præfecti, & interioris Consilii primi & Legati, Responsum Amplissimi Senatus Reipublicæ Lubecensis.

R*Egiam Majestatem Navarream D. Segurius* nostro nomine officiose salutabit, eique officia nostra & studia deferet, agetque *sua Majestati* ingentes gratias, pro singulari amore, cura & solicitudine in *Rempub. Christianam*, quam quidem ex hac *sua Majestatis* legatione, & perspicuis argu-

mentis abunde agnoſcimus commendamus & approbamus; Deinde *ſuæ Majeſtati* ſignificabit, quod nihil in nobis eſſe pateremur, quod ad iſtius negotii ſalutaris promotionem videretur, ſi aliquid in noſtro poſitum eſſet arbitrio. Cum vero hujus rei Principium ad *Illuſtriſſimos Electores, Principes* & cæteros *Status Imperii Romani Auguſtanæ Confeſſionis*, ex quorum quidem numero minimi ſumus, adeoque Convocatio ipſa omnium *Ordinum* ſpectet. Non dubitamus *Optimos Principes* pro rei magnitudine, ſingulari pietate & zelo, quo *Chriſtianam Religionem* & ei vere addictos complectuntur, in illam curam & ſolicitudinem incubituros acturosque, ne quod *Chriſtiana Reſpublica* detrimenti capiat, quæ quidem cum moram nullam patiuntur, ſed in celeritate poſita ſint, ut *Romani Pontificis* conatibus, quamprimum obviam eatur, ſine dubio in deliberationes omnes & ſinguli ſine

ulla

ulla cunctatione descendent. Quod ad nos attinet, & ut expectationi *suæ Majestatis* de nobis egregie conceptæ satisfiat, si ad consilia communia accersiti fuerimus, quod proculdubio fiet, officio nostro non deerimus, dabimusque operam quantum fieri potest, & nostra Conditio feret, ut præmonitorum *suæ Majestatis* omnium ratio, imprimis autem Religionis & omnis ab ea avertendi incommodi, & nos, nostrosque conservandi cura habeatur. Neminemque existimamus tam desidem somnolentumque fore, cui hæc communis deliberatio cordi esse non possit, nec debeat. Quamobrem *sua Majestas* sibi optima quoque etiam de nobis persuasum habeat, *suam Majestatem* cæterum etiam atque etiam rogamus ut nostros nostramque *Rempublicam*, semper commendatam habere velit, vicissim *Majestatis Regiæ* incolumitatem diu & feliciter florere ex animo cupimus. Magnifico autem

D. Legato felicem in Patriam reditum exoptamus.

Lubecæ Calendis Martii Anno. 1584.

XXXVIII.

RESPONSORIA

Ottonis Brunsv. & Luneb. Ducis ad Henr. Regem.

SERENISSIME REX.

R*Egiæ vestræ dignitati* offerimus obsequiorum nostrorum studium promptissimum, *Domine* & *Consanguinee* diligentissime. *Legatus Regiæ vestræ dignitatis*, Vir Magnificus & Nobilis D. *Jacobus Segurius Pardelianus* scripsit ad nos ex urbe vicina *Hamburgo*, absentiam suam excusans; & simul misit *Regiæ V. dignitatis* obsignatas literas ad nos perscriptas, pietate & *Christiana gratia* & benevolentia plenissimas, nec non exemplum eorum, quæ à *Regia Vestra dignitate*, ad

Re-

Reges & *Electores*, *Principes* & *Proceres Reformatarum Ecclesiarum* in *Germania* aliisque *Regnis* deferenda in mandatis habet. Cæterum mirum in modum hisce omnibus delectati sumus, imprimis vero, quod *Regem* tantum *Ecclesiis nostris* favere intelleximus, & instinctu verè *Divino* earum concordiam summopere flagitare, nec non competentia remedia, per quæ dissensiones conciliari posse sperantur in medium proferre. Res sane magis necessaria & utilis *Ecclesiæ Dei* hoc tempore promoveri haud potest. Gratiam igitur D*eo Omnipotenti* habemus quam maximam qui *Regiam V. dignitatem Divino* hoc ardore succendit, ut & ope *Spiritus S.* Hunc in posterum augeat, veris gemitibus obtestamur. Agimus insuper gratias *Regiæ Vestræ dignitati*, quod ea felicem rerum nostrarum statum & *Ecclesiarum*, in Ditione nostra tranquillitatem nobis gratulatur, pro quo & nos *Divinæ Omnipotentiæ*, quæ

L 6 etiam:

etiam in posterum, & nostrum Statum & *Ecclesiarum* Ditionis nostræ Concordiam ita ut nunc est, benigniter conservare dignetur, gratias sufficientes agere non possumus. Optamus autem & *Deum* oramus, ut & *Regiam V. dignitatem* incolumem diu conservet & quæ ad pacem Ecclesiarum in *Regno* ejus salutaria sunt, clementer concedat. Quod ad causam principalem attinet, non improbamus *Regiæ Vestræ dignitatis* consilium, de tollendis controversiis in *Ecclesiis*, quæ *Augustanæ Confessionis Religioni* hactenus fuerunt & jam dum sunt addicti, quam magni enim inde hactenus tumultus sint exorti, quam item adversario *Romano Pontifici* adhærentes animosiores redditi fuerint, & calumniis Orthodoxos proscindere conentur, luce meridiana clarius est. Igitur conatum *Regiæ Vestræ dignitatis* summopere laudamus, & non dubitamus, quin *Sereniss. Reges*, *Electores*, *Principes* & *Status*,

qui

qui *Augustana Confessionis Religionem* amplectuntur & profitentur, *Regia V. dignitatis* postulatis, quantum fieri poterit adstipulabuntur. Quod ad nos attinet, prædecessores nostri *Principes Brunsvicensium & Lunenburgensium* inter primos fuerunt qui *Augustana Confessioni* subscripserunt, eamque in *Ecclesiis Ducatus* nostri quantum in ipsis fuit piè promoverunt, & nos ab incunabilis in ea fuimus informati. Igitur quantum in nobis est, ope *Divina*, eam vel vitæ nostræ jactura retinere & propugnare conabimur. Verum *Regia V. dignitati* significamus, *Ducatus* universi Gubernationem & administrationem, ex pactis antecessorum nostrorum esse penes *Illustrissimum Principem D. Guilhelmum Juniorem Ducem Brunsvicensium & Lunenburgensium* Agnatum nostrum, *cujus dilectio* etiam onera totius *Ducatus Lunenburgici* ferre tenetur. Cumque ea à prædicto *D. Segurio* (ut ferunt) ante aliquot

 men-

mensesſimili modo requiſita & *Religionis* noſtræ *Reformata* amantiſſima ſit, non dubitamus *Dilectionem ipſius Principis Chriſtiani* officio functuram, & gnaviter concordiam *Eccleſiarum* promoturam, & cuncta neceſſaria pro facultate *Ducatus* noſtri collaturam eſſe. Nos vero quicquid pro ſalute *Eccleſia*, jactura corporis & vitæ noſtræ præſtare poterimus, operam dabimus, ut Deo juvante, nihil quod Principem Chriſtianum deceat, à nobis prætermiſſum eſſe *Regia V. dignitas* dignoſcat. Quæ brevibus reponſi loco, cum ad *Regia V. dignitatis* literas, tum ad inſtrumentum mandatorum *Legati* reſcribere placuit. Quod ſupereſt *Regiam V. dignitatem* cum omnibus ſibi caris in protectionem *Dei Opt. Max.* Nos autem & noſtros in favorem *Regia V. dignitatis* ſubmiſſè commendamus, cum reoblatione ſervitiorum noſtrorum humilium.

Dabantur in Arce noſtra *Harburgo* 1 *die Menſis*.

Mensis Aprilis reparatæ salutis Anno 1584.

Regiæ Vestræ Dignitatis

Observantissimus,

OTTO,

Dei Gratia Dux Brunsvicensium & Luneburgensium.

XXXIX.

Ejusd. ad

LEGATUM RESPONSORIA.

TRansmisit ad nos literas Vestras, una cum *Serenissimi Regis Navarrorum* literis, Vir doctissimus & nobis dilectus; *Doctor Vitus Winshemius*. Intelleximus autem ex utriusque, quo animo *Rex* erga *Religionem Augustanæ Confessionis* ejusque Cultores sit affectus. Unde eæ nobis fuerunt gratissimæ. Laudanda imprimis est *Regiæ ipsius dignitatis* pietas & industria, qua recte judicat contentiones & duras illas rixas in hac causa sopiri saltem, si non omnino tolli, qua ratione etiam.

iam conatibus *Pontificiis* obviari posse arbitretur.

Respondemus igitur *Regiæ ipsius dignitati*, & tuæ *praeminentiæ* per dictum *D. Vitum* responsum nostrum remittimus, prout à nobis ea postulavit. Si qua in re propensam tibi voluntatem exhibere poterimus, non deerit nostra opera. Vale feliciter & iter tuum ad *Regiam dignitatem Deus Opt. Max.* bene fortunet, iterum vale felicissime.

Ex Arce nostra Harburgo, Calendis Aprilis Anno 1584.

OTTO

Dux Brunsvicensis & Luuenburgensis.

XXXX.

XXXX.

HENRICUS,
Dei Gratia Navarrorum Rex, &c.
Amplissimis & Prudentissimis Consulibus Reip. & Civitatis N. N.

Amplissimi & Prudentissimi Viri.

CUm nihil sit nobis summa *Dei* Misericordia concessum majus aut præstantius, quam delapsa è Cœlo & Divinitus constituta *Religio*, mortalesque omnes deceat omnibus animi corporisque viribus contendere, ut eam suo sæculo foveant & quantum in illis est integram & incorruptam ad posteros transmittant, tum vero maxime interest eorum, quos eousque dignitatis evexit *Dominus*, ut ipsos veluti tutores & fautores suarum *Ecclesiarum* constituerit, quales sunt *Principes* & *Respub.* quas his temporibus excitavit, ad conservandam & propagandam nominis

minis sui gloriam. At vero ut summus ille noster *Rex* & *Sacerdos* petit, ut unum simus: sic decebat quotquot ad eum gradum inter *Christianas Gentes* extulit in firmam verèque *Christianam* Concordiam ut coirent, quo viribus conjunctis veri *Dei* cultum proveherent, & *portenti illius Romani* nefarios impetus retunderent. Dolendum tamen est, *Viri Amplissimi & Prudentissimi*, quantumvis multo labore, opera & studio tentatum sit huc usque, ut omnium nostrum, qui *superstitionibus Romanis Evangelii luce* liberati sumus in doctrina consensus esset, iisdem animis apertas Hostium communium injurias repelleremus: Nondum tamen hujusce Christiani conatus exitum ullum fuisse, quamvis ad *Ecclesiarum* salutem & incolumitatem necessarii. Hæc certè antea nos impellebant, ac veluti incendebant, ut ipsi longinquas Peregrinationes susciperemus, & *Illustrissimos Sacri Romani Imperii Principes*, *potentes*

Civi-

Civitates & reliquos *Ordines*, qui *Evangelio* nomen dedissent, invisêremus, quo jucundissimo eorum conspectu & colloquio frueremur, tum vero maxime, ut ipsi etiam omnibus testatum faceremus, quale nostrum esset in conservanda provehendaque *doctrina saniore* studium & desiderium. Neque tamen unquam nobis persuasimus, eam esse nostram aut voluntatem aut dignitatem, quæ Doctorum Virorum diligentiæ & anthoritati præcelleret, sed ut etiam nostrum veluti calculum adderemus id Itineris nobis ingrediendum existimabamus, ut sane intelligerent, qui tali tamque sancto instituto adversantur, in multis *Regnis* & *Provinciis* multos esse, qui tam salutare Consilium promovent. Nunc vero alia nobis mutandi consilii, & in *Gallia* permanendi causa fuit, omnibus quidem, qui rebus novis non favent perutilis, nostræ vero *Religionis* hominibus prorsus necessaria. Nonnulli enim ex aliorum incom-

modis,

modis compendium facientes, & quia existimant sua interesse vicinas omnes gentes tumultibus & perturbatione rerum assidue vexari, tum vero in his pro veteri & innato adversus veritatem odio *Pontifices Romani* moliuntur, ut ex *Regno* florentissimo & potentissimo *Gallia* pacem excutiant: Hi inquam partim corruptelis, partim minis, partim blanditiis, quietem illam, quâ fruuntur & foventur *Ecclesiæ* nostræ interturbare modis omnibus nituntur. Et quamvis *Rex Galliæ Serenissimus* omnia pacata habere, & tranquillum sui *Regni* statum retinere velle *Edictis* etiam polliceatur, quoniam tamen in id multos *Monarchas* novimus, & potestates incumbere, ut bellum Civile, quo fere visa fuit corruere *Gallia*, rursus accendatur; judicavimus ad illius pacem & tranquillitatem confirmandam plurimum prodesse posse, si hic remaneremus, & eos interim, qui pro veteri in *Galliam* benevolentia, ejus *Regni Majestatem*

jestatem & amplitudinem sartam tectamque esse cupiunt, per *Legatos* rogaremus, quod ex animo facimus, ut *Serenissimo Regi* nostro autores essent, quantum universæ *Europæ* interesset, tantum *Imperio* suo & potestate ad conservandam in suis ditionibus pacem uteretur. Hæc nos impulserunt, *Viri Amplissimi*, ut ad obeundam legationem illam *D. Segurium* domus nostræ atque adeo totius consilii *Præfectum* mitteremus, cujus ea semper fuit optimis artibus, pacisque imprimis studiis quæsita laus, ut vel fræquentibus adversariorum calculis, unus inter *Proceres Nobilitatis Gallicæ* judicetur, ad pacis ineundæ stabiliendæque rationes & industriæ & consilii plurimum contulisse. Quoniam autem jam à multis annis vestram *Rempubl. Evangelio* nomen dedisse acceperimus, illudque pro viribus propugnasse: tum vero quanta prudentia, jussimus illum *Vestras Amplitudines* nostro nomine salutare, ab illis consilium

lium exquirere & postulare, ut à nobis omne studium erga vos, operam & diligentiam, in communi causa tuenda & promovenda expectetis. Sed hoc imprimis à vobis petimus, *Viri Prudentissimi*, ut quæ de communibus omnium totius *Europa Ecclesiarum* periculis dicturus est, deque depellendorum ejusmodi discriminum ratione, quantum à nobis provideri potuit, æqui bonique consulatis. Cætera, quæ ad *Statum* nostrum pertinent ex ipso intelligetis, cui & pro ea, quâ præditus est fide, & quia à nobis *vestris Amplitudinibus* est commendatus, aures & fidem præbeatis, etiam atque etiam petimus. *Dominus* fœlicem vestram & florentem *Rempub.* diutius ve t ad Nominis sui gloriam conservali. Bene valete *Viri Amplissimi* & *Prudentissimi*.

Neraci pridie Calendas Augusti. Anno 1583.

Vester Bonus Amicus
HENRICUS
ALLIARIUS
Salutem & officia

L X I.

X L I.

Magdeburgensis Civitatis ad Henr. R. Epistolæ.

Serenissime Rex *Navarrorum, Domine Clementissime.*

CUm fama ad nos perferretur, de honorifica *Regiæ Serenitatis vestræ legatione* ad *Principes Germaniæ*, eandemque publicam esse contestationem summæ conjunctionis & amoris mutui, gratulabamur quidem *Patriæ* hanc felicitatem, qua quasi novo præsidio, adversus externorum hostium machinationes quodam modo septa & munita esse videretur. Sed tum demum majori efficiebamur lætitiâ, cum *Illustris & Generosus D. Jacobus Segurius* & *Legatus Magdeburgum* nostrum peteret, & exhibitis *Regiæ Serenitatis Vestræ* literis, plenis pietate & clementia, de *Regio* in *Ecclesiam* *Chri-*

Christi & *Rempub. Germaniæ* animo & voluntate suaviter & religiose dissereret, de conciliandis in *Ecclesia* dissensionibus suaderet pie & placide, de sedando belli *Coloniensis* tumultu loqueretur argute & prudenter. Magnam igitur spem concipiemus de Regiorum consiliorum optimo eventu si *Illustrissimis Principibus* nostris de salute *Ecclesiarum* & *Patriæ* jam dudum solicitis probari cognoverimus.

Equidem quæ nostra est fortuna & conditio ab immutatione majorum nostrorum periclitanti *Religionis* statu, nunquam recessuri sumus, non tam exemplis illorum, quam nostra in *Deum* fide & virtute propria incitati, fretique *Numine Dei* atque Clementia.

Qui animus ne in nobis concidat, plurimum momenti habebit *Regiæ Serenitatis Vestræ* verè Religiosa & *Christiana* admonitio: ipsam enim nunc amplectimur reverenter, prædicaturi omnibus magnificè, diligenter commen-

mendaturi posteris. Ingentes igitur gratias agimus *Regiæ Serenitati V.* pro eo amore & benevolentia, qua hactenus *Germanos* sese prosecutam esse & adhuc prosequi profitetur.

Pro quo amore, quid tanto *Regi* reponamus, *Magdeburgum* nostrum non invenit? *Coloniensium* certe *Ecclesia*, cujus necessitati, gemmarum, pecuniarum, & supellectilis aureæ vim à *D. Legato* depositam esse audivimus, id quod res est fatebimur, te *Serenissimum Navarræ Regem*, nomine sibi amicum, officiis fratrem, auxiliis parentem extitisse. Nos porro *Rex Serenissime*, *Regnum* tuum semper salvum, te incolumem, nomen tuum inter *Reges* immortale *Christianos*, ex animo optamus, præcamurque, ut alii etiam *Reges* & *Principes* tuo ductu & exemplo, uti jam nobis fieri constat, veram *Religionem* ament, promoveant, tueantur, defendant. Vale *Serenissime Rex*, & salve.

Magdeburgi Anno 1584. XVI. *Calen-*

das M*artii* quo die *Gisela Imperatoris Conradi Salingui Coujux Lotharii* R*egis Franciæ Filia* nupta prius *Brunoni* M*aroioni Saxoniæ*, deinde *Ernsteo Duci Sueciorum* piè mortem obiit.

R*egiæ Serenitatis V.*
Officiose observantis.
Consl. & Senatores
Magdeburgenses.

XLII.

Ad proposita jussu & voluntate Illustrissimi & Potentissimi Principis & Domini, Domini Henrici Regis Navarreni & P*rincipis Bearniæ,* G*enerosi & Nobilissimi* D*omini Jacobi Segurii* P*ardiliani suæ Majestatis* D*omui.* P*ræfecti, & interioris* C*onsilii Consiliarii primi & Legati, Responsum Amplissimi Senatus Reipublicæ Lubecensis.*

R*Egiam Majestatem Navarream* *D. Se-*

D. Segurius Pardilianus nomine nostro officiose salutabit, eique officia nostra & studia deferet, agetque *suæ Majestati* ingentes gratias, pro singulari amore, curâ, & solicitudine in *Remp. Christianam*, quam quidem ex hac *suæ Majestatis* legatione & perspicuis argumentis abunde agnoscimus, commendamus & approbamus.

Deinde *suæ Majestati* significabit, quod nihil in nobis deesse pateremur, quod adistius negotii salutaris & summopere necessarii promotionem videbitur, si aliquid in nostro positum esset arbitrio.

Cum vero hujus rei principium ad *Illustrissimos Electores*, *Principes*, & cæteros *Status Romani Imperii Augustanæ Confessionis*, ex quorum numero quidem minimi sumus, adeoque vocationem ipsam omnium ordinem spectet. Non dubitamus, optimos *Principes*, pro rei magnitudine singulari pietate & zelo, qua *Christianam Religionem* omnes ei verè addicti

complectuntur, in illam curam & sollicitudinem incubituros, acturosque, ne quid *Christiana Resp.* detrimenti capiat. Quæ quiden cum nullam moram patiantur, sed in celeritate posita sint, ut *Romani Pontificis* conatibus quamprimum obviam eatur, sine dubio ad deliberationes omnes & singuli sine ulla cunctatione descendent.

Quod ad nos attinèt, ut exspectationi *suæ Majestatis* de nobis egregiè conceptræ satisfiat, si ad consilia communia accersiti fuerimus, quod procul dubio fiet, officio nostro non deerimus, dabimusque operam, quantum fieri potest, & nostra conditio feret, ut Præmonitorum *suæ Majestatis* omnium ratio, imprimis & *Religionis* & omnis ab ea incommodi avertendi & nos nostrosque couservandi cura habeatur. Neminemque existimamus tam desidem somnolentumque fore, cui hæc communis deliberatio cordi esse non possit nec debeat.

Quamobrem *sua Majestas* sibi optima

ptima quæque etiam de nobis certò perſuaſum habeat. Cæterum *ſuam Majeſtatem* etiam atque etiam rogamus, ut nos noſtramque *Rempubl.* ſemper commendatam habere velit. Viciſſim *ſuæ Majeſtatis* incolumitatem, diu & feliciter florere ex animo cupimus. *Magnifico* autem *Domino Segurio* felicem in Patriam reditum exoptamus.

Lubecæ Calendas Martii Anno 1584. *Stylo Antiquo.*



XLII.

Ad Serenissimi & Inclyti Domini, Domini Henrici Navarrorum Regis postulata, quae Magnificus & Generosus Dominus *Baro, Jacobus Segurius* P*ardilianus interioris Consilii Regii* P*raefectus nomine Regiae Majestatis Dominis* P*roconsulibus & Deputatis Reipub. Hamburgensis exposuit, Senatus, ejusdem Reipub. responsio.*

S*Erenissimi* ac *Inclyti Domini Henrici Regis Navarrorum, &c. &c. Legatus* Vir *Magnificus* & *Generosus Baro Jacobus Segurius*, à *Consiliis Regiis Primus*, negotium à *Regia Majestate* commissum, Dominis *Proconsulibus* & aliis à *Senatu Reipub. Hamburgensis Deputatis*, tam viva voce, quam scripto compendioso singu-

singulari dexteritate & industria exposuit, quo à *Senatu Reip.* in maturam deliberationem deducto, subsequentem Resolutionem, ea qua fieri par est, animi submissione subjicere voluit.

Principio itaque, sicuti *Regiæ Majestatis* benignæ & propensioris affectionis significationem erga hanc *Remp.* clementissima salutatione ostensam, submissiore voluntate *Senatus* accepit. Ita *Senatus* tam suo quam communium Civium suorum nomine officiosa obsequia cum omni observantiæ studio & cultu conjuncta, vicissim humiliter & promtissime defert & pollicetur.

Imprimis vero hanc plane *Regiam* benignitatem gratiosissimis votis prosequitur, quod *Regia Majestas* neque sumptuum neque periculorum, vel molestiarum multitudine deterrita, hujus difficillimæ profectionis Institutum suscipere, atque deinde urgentissimis causis impedita, summæ authoritatis *Legatum*, cum ple-

nissima potestate ablegare voluerit, ut *Christiana Ecclesia*, ob infestissimorum hostium manifestam vim & insidiosas fraudes laboranti, conjuncto Consilio mature succurratur.

Certè uti tam laudabilis Veterum *Christianorum Principum* Exemplo instituti ratio omnium piorum gratulationem meretur: ita etiam *Regiæ Majestati*, nunquam perituram gloriam, apud gratam, (si quæ futura est) posteritatem inveniet, & ex *Proceribus* aliquot felici ęmulatione ad hujus salutaris Negotii expeditionem incitabit: siquidem hoc sapientissimo consilio ex gloriosissima *ipsius nominis Illustrissimi* erga omnes *Ecclesiæ Christianæ* Cives, & orthodoxæ Veritatis Studiosos, pietate & benignitate suscepto, *Pietatem Christianam*, & *genere* & *dignitate sua Regia* dignissimam declarat, & propensionem & amorem clementissimum erga hanc Civitatem, & erga *Ecclesiasticum Statum*, admiratione & bonorum prædicatione dignam affectionem, ostendit

dit, quam in Heroicis naturis antiquæ historiæ celebrant.

Quod autem præcipuum caput *Consultationis Regiæ* per *Legatum* dignissimum ad hanc *Remp.* nostram institutæ concernit, ut de hisce inter *Augustanæ Confessionis* Socios, & *Reformatæ Religionis* addictos, jam dudum cum præsentissimo *Christianæ Reip.* periculo exortis controversiis, conventus & *Synodus Legitima*, quam hactenus aliæ difficultates & temporum turbulentiorum iniquitas impedivit, indicatur, in eâque sepositis affectibus & relictis præjudiciis, interveniente *Illustrissimorum Imperii Procerum* authoritate & salutari moderatione, causæ controversæ dijudicatio instituatur, & quæ utriusque partis afflictam conditionem hactenus duriter exercuerunt dissidia, moderato & pio consilio tollantur & componantur.

Certè sicuti hanc Communicationem in *Primitiva Ecclesia* ab *Orthodoxis* sæpenumero usurpatam novi-

mus, ita & ab eadem nos non abhorremus, sed potius ex animo optamus, ut *Deus Opt. Max.* dum orbis terrarum passim odiis & furoribus ardet, misere dilacerata *Ecclesiæ* Membra conglutinet, & in unius Corporis *Harmoniam* reducat, ac sublata omni dissidiorum inæqualitate, pacem & quietem *Senescentis Ecclesiæ* benignè concedat.

Ideoque licet penes *Superiores Principes* Convocationis instituendæ potestas sit, & ab illorum voluntate Executio legitima hujus Negotii dependeat, adeo ut non sit, quod de certiore ejusdem effectu quicquid polliceamur: tamen si *Augustanæ Confessionis* addicti *Principes* & *Ordines*, legitimi conventus instituendi rationes probaverint, nostramque hac in parte qualemcunque suffragationem requisiverint, certè in iis quæ ad constituendam pacem & tranquillitatem *Christianæ Reip.* pertinent, nostro loco, *Regiæ Majestatis*, omniumque piorum benigno desiderio & expectationi

tioni nunquam sumus defuturi, sed quum possibile erit, hoc præstituri, quod existimamus ad gloriam *Nominis Divini* & *Cœlestis veritatis* conservationem cessurum.

Quod superest *Deum Opt. Max.* autorem omnis boni rogare non desinimus, ut hisce tam piis & salutaribus conatibus sua divina gratia benedicere, eorumque corda & animos, qui sanctum *Dei Evangelium* amplectuntur, salutari & necessario pacis vinculo consociare velit, quo doctrina *Evangelii* nobis pura conservetur, & ab *Ecclesiis* ipsum verê agnoscentibus omnes hostiles conatus, & violentæ molitiones avertantur, hisque imminentibus calamitatibus & malis publicis *Divinis* auspiciis, salutaria remedia adhibeantur.

Deinde quâ par est, animi submissione à *Regiâ Majestate* contendimus, hanc nostram ex animo communis Pacis promovendæ studioso profectam declarationem, benignè & clementer accipere, nosque & *Remp.* nostram

Regia ſua benignitate complecti & à nobis viciſſim omnia ſtudioſiſſimæ voluntatis obſequia & paratiſſima officia expectare velit.

Hæc ut *Magnificus* & *Generoſus Dominus Legatus*, cujus ſalutem & ſecuram incolumitatem caſtrorum *Angelorum* excubiis ſollicitè recommandamus, poſt feliciſſimum ad ſuos reditum, *Regiæ Majeſtati* fideliter noſtro nomine referat, officioſiſſime rogamus, noſtra viciſſim expedita ſtudia ipſi cupide declaraturi, in fidem horum, *Sigillum Reip. noſtræ* ſcientes his litteris apponi juſſimus.

Dabantur *Calendas Aprilis* Anno noviſſimi temporis 1584.

XLIII.

Ejuſdem Civitatis

AD LEGATUM EPISTOLA.

Magnifice & Generoſe Domine Baro, Domine & Amice colende.

RESolutionem noſtram breviore ſcripto comprehenſam, *tua Generoſa*

nerosæ Nobilitati per præsentem communicamus, & quamvis hanc in exhibendo commissam tarditatem accuratius excusare officii nostri esse intelligimus, tamen cum insignis tuæ humanitatis & singularis benevolentiæ nuper nobis sit perspecta, non putamus, nos facturos operæ pretium, si de excusatione hujus intervenientis moræ instituenda accuratius laboraremus.

Ipse Moderator omnium Deus benedicat laboribus vestris, cujus *diuturnæ protectioni* & *custodiæ* tuam tuorumque incolumitatem studiosè & devotè commendamus: nostra etiam expedita officia *Generosæ Nobilitati tuæ* studiosè deferimus.

Dabantur sub sigo Civitatis nostræ. Pridie *Non. Aprilis.* Anno novissimi temporis 1584.

Proconsules & Senatores Civitatis Hamburgensis.

X L I V.

Verdensis Cancellarii ad LEGATUM EPISTOLA.

Nobilis & Generose Domine Legate.

LItteras tuas ad *Illustrissimum* & *Celsissimum meum Principem* scriptas *ejus Celsitudine* absente accepi & resignavi. Posteaquam vero ex iis te ad *Potentissimi* ac *Serenissimi Regis Navarreni* literas urgere Responsum intellexi, id non subsecuturum nisi prius communicato Consilio & permatura ob rei gravitatem habita deliberatione cum aliis, quæ *Dei* provisione *Illustrissimus meus Princeps* administrat *Diæcesibus*, animadverti, non intermittendum putavi, quin te de hoc certiorem redderem, ne ob expectatam responsionem, quæ longa propter prædictarum *Diæcesium* intervalla ac interstitia non brevi temporis spatio confici

confici poteſt, deſtinato tuo in *Patriam* itineri moram injectam conqueri poſſis, & ad *Sereniſſ. tuum Regem* revertendi optima à ſemetipſo negligeretur occaſio.

Interim id tamen tibi, à *meo Principe* perſuaſum habeas velim, *ipſius Celſitudinem Sereniſſ. tuo Regi* benevolentiam, ſtudium, obſervantiam atque omnia amicitiæ officia & genera deferre polliceri. Vale quam fœliciſſime.

Datæ Verdis 12. *Aprilis* Anno 1584.

T. G.

Studioſiſſimus

CHRISTOPHORUS SCHIEFEDT.

Cancellarius.

LXV.

XLV.

HENRICI REGIS EPISTOLA AD COMITEM. &c.

Henricus Dei *Gratiâ Navarrorum Rex &c. Illustri & Generoso Domino.*

Illustris ac *Generose Comes*,

CUm nihil post *Dei Gloriam*, *Evangeliique propagationem* nobis fuit antiquius quam *Illustriß. Principum*, & in *Ecclesia Præstantium Virorum* consuetudine frui, mutuamque cum illis amicitiam colere, instituerамus ipsi *Reges* & *Principes* cæterosque *Illustres Viros*, qui *puriorem Religionem* sectantur, invisere, si modo quid nobis superesset temporis à laboribus publicis & periculis illis vacuum, quibus *Ecclesias Gallicas*, per absentiam nostram, obnoxias fore plerique judicabant. Verum cum hoc sine discrimine ipsarum, propter *Insidias Pontificis Romani* fieri nequi-

nequiret, observantibus passim in hoc *Regno Monstri illius emissariis*, & Pacem, qua fruimur, *Chistianiss. Regis* beneficio, per cuniculos oppugnantibus, mutato proposito, nobis adhuc in *Gallia* commorandum esse duximus.

Itaque cum profectionis illius, deferendum esset institutum, *Dominum Segurium interiori nostro consilio præfectum ad illustrissimos Principes*, cæterosque *Sacri imperii Ordines* delegavimus, per quem, eos de nostra voluntate certiores faceremus, quantumque exoptemus benevolentiam eorum & mutuam caritatem propensissimo nostro erga eos studio consimilem experiri. Altera missionis causa fuit, ut vota nostra, industriam & operam cum his conjungeremus, qui *Ecclesiam Orthodoxam* & ab intestinis dissidiis immunem, & adversus exterorum injurias fartam tectamque esse cupiunt, simul ut *Illustrissimorum Germaniæ Principum* Consilio juvaremur, & illa qua apud *Regem Galliæ Serenissi-*

mum

mum pollent gratia, quo voluntas ipſius ad Pacem in *Regno* retinendam propenſiſſima, in tam ſancto & neceſſario inſtituto confirmetur.

Quoniam autem non ignoramus, *Illuſtris & Generoſe Comes*, qualis ſemper *veſtra* fuit, erga *Eccleſiam Dei* voluntas, & quanto favore ſanctiſſimum & honeſtiſſimum *D. Thruchſeſſii Electoris Colonienſis* inſtitutum promoveri cupiatis, juſſimus dictum *D. Segurium* vos nomine noſtro ſalutare, vobis omne genus officii à nobis offerre, aut ſaltem deferri curare, ac veſtrum conſilium in rebus noſtris & ad *Eccleſiæ univerſæ* ſtatum pertinentibus rogare. Quod pro veſtra illa humanitate erga omnes, pro vehementi *Religionis & Gloriæ Dei ſtudio*, proque ſumma erga nos benevolentia impetratum iri confidimus. *Deus Opt. Max. Illuſtrem generoſitatem veſtram Eccleſiæ ſuæ* incolumem diu conſervet.

Neraci. XV. *Calend. Auguſti* Anno 1583.

HENRICUS.

ABLTARIUS.

XLVI.

XLVI.

AD PRINCIPEM ANHALDINUM LEGATI EPISTOLA.

Illustrissime & Clementissime Princeps.

SI *Celsitudinem vestram Bessani* esse certo comperissem, statueram illic me conferre, ut administratæ legationis meæ, rationem ipsi redderem. Verum cum ad *Illustrissimum Electorem Brandeburgicum*, *Celsitudinem Vestram* profectam esse, rumoribus accepissem, ad eam scribere decrevi, & quid hactenus egerim explicare.

In *Aula Brandeburgica* tam honorificè acceptus fui, ut nihil supra, cum *Optimus ille Princeps* & comitate vultus, & hospitii magnificentia, & omni humanitatis significatione benignitatem suam erga me aperuerit. Lega-

ga-

gationem vero meam, & *Sereniſſimi Regis Navarrorum* voluntatem multis etiam verbis collaudarit, ab eo dimiſſus, *Dreſdam* me contuli, ubi cum *Illuſtriſſimo Principe Domino Chriſtiano*, ex parentis voluntate mihi res fuit, erat enim tunc temporis *Auguſtopoli Illuſtriſſimus Elector* negotiis quibuſdam implicitus, ibi etiam cum hoſpitio admodum magnifico exceptus Legationis meæ cauſas expoſuiſſem, à *juniore Principe* ſumma etiam attentione & benevolentia auditas, tota re cum *Illuſtriſsimo Parente* communicata, reddidit ille mihi tandem reſponſum adeo pium & *Chriſtianum* adeoque gratum, ut ſi optio mihi daretur, melius & optabilius expetere non potuerim.

Nam præterquam quod de re noſtra ſe cum aliis *Principibus* intra certum tempus, quod huic rei præſcribit, ſerio ſe acturum pollicetur: Elucet paſſim in ea reſponſione mira negotii promovendi voluntas, & in *Sereniſsimum Regem Navarrorum* benevo-

volentiæ & amoris ardens & incitata significatio. Neque dubito, cum optimus ille *Princeps* fidem suam sponte nobis obstrinxerit, quin eam sit omnino præstiturus, nam intellexi ab aliquibus fide dignis hominibus, nostris eum scriptis permoveri.

Quoniam autem proximis istis *Dionisiis* (ut veterum more loquar) cum *Illustrissimo Electore Brandeburgico* in Colloquium venturus est, & de negotio nostro (uti promisit) acturus: *Illustrissimam Celsitudinem vestram*, qua decet reverentia rogatam cupio, ut ante conventum illum cum *Illustrissimo Electore* genero suo hac de re verba faciat, & optimam ipsius voluntatem hac in re provehenda confirmet.

In *Daniam* interea pergo, cujus Regionis *Serenissimum Regem* ab ægritudine convaluisse accepi, eadem etiam, quæ in *Germania* postulaturus, si quid vero *Celsitudo Vestra* ad *Regem* ipsum notis mandatura est, litteras ipsius integro die *Magdeburgi* opperiar;

ar; Quod si etiam aliquid in rem nostram, ab *Illustribus Electoribus* proximo isto conventu decretum fuerit, aut cum aliis *Principibus* actum, & de eo ad me scribi *Celsitudo vestra* jubeat, litterasque *Bremam* ad *Ministrum Pecetium* perferri, hoc summi beneficii loco *Serenissimus* Rex *Navarrenus* deputabit. Quod autem ista petitione verecundiæ fines transiliam, hoc summæ humanitati suæ, *Celsitudo Vestra* adscribat, cujus eam esse voluntatem & studium perspexi, ut inverecundas postulationes meas, ad *Ecclesiæ* tamen utilitatem pertinentes, æqui bonique consulturus sit.

Cerbesti XXI. *Feb.* 1584.

XLVI.

Eidem

PRINCIPI ANHALDINO

Illustrissime Princeps.

POsteaquam legatione mea in *Dania* perfunctus *Hamburgum* veni, in-

intellexi *Imperatoris* mandatum ad *Illustrissimum Bavariæ Ducem* & alios nonnullos missum esse, quo me *Cæsaria Majestas* intercipi jubet, & in custodiam detrudi, quasi res novas in *Imperio* molientem. Quod mandati genus confictis in me criminibus à *Cæsare* impetratum esse non dubito. Sunt enim si minus in *Germania*, at in *Gallia* saltem male feriati plerique, quibus exosa est *Ecclesiarum* nostrarum concordia & tota illa Legationis meæ causa.

Ab iis igitur istas mihi parari insidias existimo. Unde factum est, ut nemine causam meam orante, *Cæsar* in condemnationem ipsius ante legitimam cognitionem proruperit. Neque enim puto *Majestatem ipsius* hoc præjudicio usuram fuisse, si intellexisset me *Legatum*, id est jure gentium ab omni injuria tutum atque immunem, easque esse meæ Legationis causas, quæ nihil ad Pacem *Imperii* turbandam pertineant, sed potius ad concordiam spectent. Hac de

de re ad *Imperatorem* ipsum scribo, & ad *Illustrissimos Electores Saxonicum* & *Brandeburgicum*, ut illius quidem authoritate, hujus intercessione extra omnem discriminis aleam mihi tuto in *Germania* versari liceat, & quod superest Legationis meæ absolvere.

Quoniam autem nec sine *Ecclesiæ* detrimento, nec sine summa *Germanici nominis* nota fieri potest, ut in persona mea jus fœciale violetur, à *Celsitudine V.* suppliciter peto, ut qua ratione injuriam istam à me propelli posse censebit (quod totum ipsius prudentiæ ac arbitrio relinquo) in eam pro summa sua erga *Sereniss. Regem Navarrenum* benevolentia incumbere velit. Qua de re si cum *Illustrissimo Electore Brandeburgico* agendum putet, litteras isti *Lermaeo* tradi jubebit.

Quod ad Legationis meæ statum, feliciter cœpti laboris felicissimus fuit exitus. Nam & à *Sereniss. Rege Daniæ*, & ab *Illustriss. Electoribus*, cæ-

te-

terisque *Principibus* ea accepi responsa, ex quibus fides est, omnes brevi operam daturos, ut quam optime & citissimè fieri poterit *Ecclesiarum* concordiæ consulatur. *Ab Illustriss. Electore Saxonico* certiorem adhuc responsionem expecto, præsertim cum & *ipsius Celsitudo* cum *Illustriss. Electore Brandeburgico* & nonnullis aliis *Principibus* in colloquium venerit; & *Comitiorum* Rotemburgicorum, ut puto, dies ferè exierit, quo utroque conventu peracto planum & perspicuum responsum expectare jubebar. Interea *Deum Opt. Max.* oro ut *Illustriß. Celsitudinem Vestram* ad salutem *Ecclesiæ* suæ incolumem servet.

Bremæ. VI. *Aprilis* 1584.

XLVII.

LEGATI EPISTOLA AD ELECTOREM *BRANDEBURGICUM.*

ILLUSTISSIME PRINCEPS.

ABsoluta Legatione nostra tum apud *Illustriss. Electorem Saxonicum* nonnullosque alios *Principes*, tum etiam apud *Serenissimum Daniæ Regem*, decreveram ulterius pergere & ad alios *Augustanæ Confessionis Principes* iter arripere. Verum illatus Nuntius de mandato ad *Illustrissimum Bavariæ Ducem* ad *Imperatore* misso, quo ut intercipiar & in custodiam conjiciar edicitur, à profectione suscipienda deterruit, donec *Imperatoris* voluntatem planius intelligam, cum enim *Berlino Dresdam*

dum iter faciens acceperim quorundam criminationibusLegationis meæ causam apud *Imperatorem* in odium vocari, ex *Dania* autem reversus, de litteris illis intercipiendi mei causa scriptis intellexerim, in eam sententiam adductus sum, ut hac de re ad *Cæsaream Majestatem* mihi scribendum esse duxerim, ut scire liceat, an bona cum ipsius venia mihi *Legato* ad *Germaniæ Principes* misso, in *Germania* ipsa jure Gentium tuto esse concedatur.

Quod cum ad *nominis Germanici* existimationem pertineat, ad *Celsitudinem Vestram*, uti etiam ad *Illustriss. Saxonicum Electorem* scribere ausus sum, utriusque authoritate futurum existimans, ut extra omnem discriminis aleam Legatione mea perfungi possim: cujus illud primordium, impetratis optimis undique responsis, ut hoc unum tantummodo à *Deo* quotidie petam, ut rectè exorsis compar & sequatur finis. *Deum* itidem oro, *Illustriss.*

Princeps, ut *Celsitudinem Vestram* ad nominis sui gloriam perpetuo incolumem servet.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

XLVIII.

EXEMPLAR
LITTERARUM
Ad Duces
OTTHONEM
Brunsvicensem,
ET
CHRISTOPHORUM
Megapolensem.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

CUm à *Serenissimo Rege Navarreno* jussus fuerim apud *Illustrissimos Germaniæ Principes* de certaminibus in Religione componendis, & ratione depellendorum *Pontificis Roma-*

Romani conatuum agere. Privatim vero hac de re *Celsitudo Vestra* mihi compellenda fuerit, quod ipse coram facere non potui, distrahentibus me alio negotiis istis, id ut per litteras fieret operam dedi. *Serenissimi* ejusdem *Regis* mandata ad *Celsitudinem Vestram* mitto, in quibus istius postulata ad *Ecclesiæ* utilitatem pertinentia continentur. Quæ si *Celsitudini Vestræ* probabuntur (uti me pietas vestra cum singulari virtute & humanitate conjuncta sperare jubet) non dubito quin multorum aliorum *Principum* animi, quibus hactenus Legatio mea ignota fuit, hoc præclarissimo & illustrissimo exemplo promoveantur. Quibus vero nota fuit, in optimo illo proposito, quod nobis Responsionibus suis consignatum tradiderunt, confirmabuntur.

Superest igitur, ut *Celsitudinem Vestram Sereniss. Regis* nomine obsecrem, ut quicquid habeat authoritatis aut gratiæ, quicquid facultatis & industriæ (plurimum autem

habet) totum id ad causam istam promovendam, *Ecclesiæ* non minus utilem, quam necessariam confe-rat. Quod si effecerit (uti omnino spero) & de *Ecclesia Dei* præclare merebitur, & tot servatis *Reip.* Civibus *Christianæ*, non Civicam illam *Romanorum*, sed immortalem alteram atque Cœlestem adipiscetur Coronam. Dominus Doctor *Zacharias Welingus Witus Winsemius* hæc ad *Celsitudinem Vestram* perferri curavit & ejusdem responsum ad me deferendum recipiet, ad eum igitur *Celsitudo V.* responsionem mittere poterit. *Deum Opt. Max.* oro, ut *Celsitudinem Vestram* ad *Ecclesiæ suæ* salutem diutissime incolumem servet.

Hamburgæ XVI. *Martii.* 1584.

XLIX.

XLIX.

Ejusdem

EPISTOLA

AD

JULIUM

Ducem Brunsvicensem.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

CUm apud *Illustrissimos Electores*, aliosque multos *Germaniæ Principes* cum apud *Illustrißimum, & Serenissimum Regem Daniæ* Legatione mea perfunctus fuerim, & ab omnibus iis optima Responsa acceperim, decreveram, ut promissionis fidem exsolverem, ad *Celsitudinem V.* recta contendere: partim ut pro singulari ipsius humanitate &

beneficiis in me collatis, gratias coram agerem, partim etiam, ut quicquid hactenus in negotio Legationis egi, *Celsitudini Vestra* explicarem.

Verum cum de hac profectione cogitarem: ecce præter omnem expectationem adferuntur ab amico litteræ, cum *Imperatoris* ad *Illustrissimum Bavaricum Ducem* mandato, quo ut interciperer, & quasi novarum rerum in *Germania* cupidus, in custodiam conjicirer, mandabatur.

Quæ res cum mihi nova plane & inaudita fuerit visa, Litteras ad *Cæsaream Majestatem* mitto, ut ei me Legatum esse significarem, cujus persona & sacra & extra omnem periculi aleam posita jure Gentium esse debeat, & simul postulem, ne quid fictis adversariorum criminationibus in me gravius statuat: si vero statuerit, ut abroget.

Hac de re & ad *Illustrissimum Electorem Saxonicum* scribo & precor, ut

ut adversus ejusmodi mandatum intercedat. Hujus enim commendatione futurum spero, ut *Clementissimus Imperator*, re penitus intellecta, non patiatur, eam *Germanico Nomini* notam inuri, ut *Legato*, presertim de pace & concordia agenti & oleam præferenti, fæcialique juri tuto, injuria inferatur.

Tantisper vero dum Nuncius redeat, quem ad *Imperatorem* & *Illustrissimum Electorem Saxonicum* mitto, itineris discrimen subire nolo, atque hæc mihi causa fuit, nondum ad *Celsitudinem Vestram*, uti decreveram eundi, quod postea tum facturus sum, cum primum ad me reversus fuerit Nuncius, quem *Wolffenbutello* redire jussi, ut si quid ad me responsionis datura sit *Celsitudo Vestra*, per eum de valetudine ipsius intelligere possim, quam & optimam *Celsitudini Vestræ* opto, & ita ut à *Deo*, omnium bonorum autore tribuatur, toto pectore deprecor.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

L.

LEGATI EPISTOLA AD *Episcopum Halberstadensem.*

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

P*Aulus Marbasus* popularis meus & eruditionis laude & testimonii vestri commendatione exornatus, ad me venit, cui licet omnia humanitatis officia propter ipsius virtutem, & communis patriæ necessitudinem exhibiturus fueram, eo tamen avidius præstabo, quod nullius *Principis* testimonio niti potuit, cujus ego voluntati, propter egregia in me merita lubentius obsequor. Quamvis igitur con-

fecta

fecta nondum Legatione mea in *Galliam* non cogitem, curabo tamen ut eo cum familiæ meæ parte reduci possit, neque patiar ei quicquam deesse quod in itineris sumptus necessarium erit.

Apud *Illustrissimum Principem Celsitudinis Vestræ* parentem de jure Gentium violato conqueror, cum *Imperatoris* Edicto cautum fuerit ut intercipiar, quasi *Germaniæ* Pacem conturbare voluerim, quæ res quam à Legationis meæ ratione procul absit, *Celsitudini Vestræ* notum est.

Ab ea igitur peto & omni prece supplex oro, ut *Illustrissimo Parenti* causam meam commendet; ne scilicet *Germanico* nomini tum ille tum alii *Principes* notam inuri patiantur, ut in *Regium Legatum* contra jus Gentium aliquid admittatur. Quod quoniam à *Celsitudine Vestra*, propter eximiam ipsius humanitatem impetratum iri confido, pluribus non morabor, hoc unum à *Deo* petam, ut *Illustrissimam familiam vestram*

ad *Ecclesiæ suæ* gloriam diutissime incolumem servet.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

L I.

Ad Civitates

LEGATI

EPISTOLA.

Amplissimi & Prudentissimi Viri.

CUm à *Serenissimo Rege Navarreno*, ad *Serenissimos Reges*, *Illustrissimos Principes* & reliquos *Ordines Imperii* Religionem à superstitionibus *Pontificis* vindicatam amplectentes, missus fueram, ut cum iis de rebus ad *Ecclesiæ* concordiam & amplificationem pertinentibus agerem, præsertim cum *amplissimo Reip. Vestræ Senatu*, neque tamen

apud

apud vos propter graviſſimas cauſas nobis commorari licuit, *Sereniſſimi Regis Navarreni* Litteras & mandata ad *Amplitudines Veſtras* mittere decrevi, ut ex iis *Regiæ Majeſtatis* erga *Dei* gloriam ſtudium & propenſiſſimam voluntatem agnoſcatis, & in hoc negotio ad *Reip. Chriſtianæ* ſalutem neceſſario quid animi veſtri ſit aperiatis.

Quamquam autem non tam aliorum imitatione quam *veſtra* propria virtute & pietate futurum ſpero, ut quæ *magiſtratu Chriſtiano* digna ſunt, in hoc negotio ſtatuatis: cum ut quid aliis *Principibus* viſum fuerit, omnes intelligant, & *Deo Opt. Max*, qui *Principum* corda pro arbitrio ſuo moderatur, gratias agant, ſcire vos volui à *Sereniſſima Angliæ Regina*, *Sereniſſimo Daniæ Rege* & *Illuſtriſſimis Electoribus Saxonico* & *Brandeburgico*, aliiſque permultis *Germaniæ Principibus* ea me reſponſa accepiſſe, unde futurum ſperem, optima illos omnes de

concordia Ecclesiæ consilia capturos, quibus si vestra ipsi suffragia addideritis, & negotium, in quo gloria *Dei* agitur, promoveritis, tum & de *Ecclesia Dei* preclarè merituri estis, & illustrissimum pietatis vestræ monumentum edituri.

Bene valete, *Amplissimi & Prudentissimi Viri*, vosque *Deus Opt. Max.* ad *Ecclesiæ suæ* salutem, cum tota *Repub. vestra* diutissime sospites servet.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

LII.
EPISTOLA
LEGATI
Ad Ducem
WILHELMUM
Luneburgensem.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

Quod tribus adhuc circiter mensibus facere non potui, ut propter

pter adversam *Celsitudinis Vestræ* valetudinem cum ipsa colloquerer. Hoc absoluta Legatione mea apud alios plerosque *Illustrissimos Principes*, præsertim *Electores* & *Serenissimum Daniæ Regem*, modo consequi sperabam, decreveram enim ad *Celsitudinem Vestram* rectè contendere, tam ut ei *Serenissimi Regis Navarreni* benevolentiam & studia deferrem; tum etiam ut quid in Legatione ista *Dei* beneficio obtinuerim, ostenderem, verum cum à nonnullis male feriatis hominibus & *Ecclesiæ Dei* adversariis apud *Imperatorem* Legationis meæ causam in odium vocari intellexerim, unde factum est, ut *Cæsar* de nobis intercipiendis & custodiæ tradendis ad *Illustrissimum Bavariæ Ducem* & alios quosdam scripserit; partim amicorum consilio, quibus visum est, ut ad *Illustrissimum Ducem Saxoniæ* & *Imperatorem* ipsum litteras darem, quibus de vi jure gentium illata modeste conquererer

& Edi-

& Edictum antiquari postularem.

Interea nolui me viæ committere, donec de *Cæsaris* voluntate certior fierem. Quare quum hoc tempore quidem, nondum ad *Celsitudinem Vestram* properare mihi fas sit, hoc ad ipsum litterarum mitto, una cum *Serenissimi Regis Navarreni* mandatis, quæ tradere non licuerat, quo tempore *Zellis* fui.

Quibus sane postulatis, non dubito, quin *Celsitudo V.* responsione commodissima, & *Christiano Principe* dignissima, calculum suum additura sit, præsertim cum ea sit *Celsitudinis Vestræ* humanitas & *Gloria Dei* promovendæ studium singulare, à quo omnia illa officia exspectari par est; quæ ad *Ecclesiam* amplificandam conferunt, unde fit ut pluribus verbis *Celsitudinem Vestram* morari nolim, sed tantum precari, ut illo nuncio ministro meo, quem ad *Imperatorem* missum *Zellis* redire jussi, responsio tradatur, nisi ma-

tu-

turius ad me perferri *Celsitudo Vestra* imperet, quam ut *Deus Opt. Max.* ad nominis sui gloriam diutissime servet sospitem etiam atque etiam oro.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

LIII.

LEGATI LITTERÆ

Ad Varios PRINCIPES.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

SErenissimi Regis Navarreni jussu, perfunctus sum hactenus Legatione apud Serenissimam Reginam *Angliæ*,

Angliæ, *Serenissimum Regem Daniæ*, multosque *Germaniæ Principes*, præsertim *Illustrissimos Electores*, qui *Confessionem Augustanam* amplectuntur, à quibus omnibus optimum responsum accepi, superest ut reliquos ejusdem confessionis *Principes vestramque* imprimis *Celsitudinem* explicandæ Legationis meæ causa inviserem.

Verum cum intellexerim non nullorum calumniis & confictis criminationibus alieniorem esse factum *Imperatorem invictiss.*, & ab *ejus Majestate* scriptas, tum ad *Illustrissimum ducem Bavariæ* tum ad alios plerosque litteras, quibus ut intercipiar & in Custodiam detrudar jubetur, veritus ne quid mihi in itinere paretur insidiarum, ad *Celsitudinem Vestram* ire non potui, sed ad ipsam *Serenissimi Regis Navarreni* litteras mitto & mandata, ex quibus gravissimas Legationis meæ causas *Celsitudo Vestra* intelliget, & propensissimam *optimi*

Regis

Regis Navarreni voluntatem ad *Ecclesiæ salutem* & *gloriam Dei* propagandum.

Quoniam autem non dubito, quin *Celsitudo Vestra*, pro summa sua pietate, huic negotio æquissima futura sit; idcirco ab ea reverenter peto & omni prece postulo, ut authoritatem & operam suam ad promovendam Ecclesiæ concordiam, & eludendos *Antichristi Conatus* (quæ duo sunt præcipua Legationis capita) *Celsitudo Vestra* conferat.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

L I V.

EXEMPLAR

LITERARUM

Legati ad Principes Pomeraniæ & Marchionem Ansbachii.

Illustrissimi Principes.

CUm *Serenissimi Regis Navarreni* jussu Legationem susceperim

rim ad *Illustrissimos Germaniæ Princi*-*pes*, qui repurgatam à *Pontificio fermento Religionem* profitentur, ac pro ratione instituti huc advenissem, decreveram, *Illustrissimi Principes*, legatione mea feliciter in hac aula functus, ad *Celsitudines Vestras* recte properare, partim ut propensissimæ erga vos *Regiæ* voluntatis opera mea testimonium extaret, partim etiam ut de gravissimis *Reip. Christianæ* negotiis cum *Celsitudinibus Vestris* colloqui, & Prudentissimo Vestro consilio juvari possem.

Verum cum præter omnem expectationem acciderit, ut *Illustrissimus Elector Saxonicus* adventus mei caussam intellexerit, & cum eo præcipue mihi res futura sit, profectionem ad ipsum ulterius non esse deferendam existimavi: præsertim cum jam totos fere sex menses in hac obeunda *Legatione*, propter maris sævitiam, & alias itineris difficultates, consumpserim, unde fit ut jam etiam de reditu propemodum cogitare cogor.

Hæc

Hæc igitur cauſa me impulit, *Illuſtriſſimi Principes*, ut *Sereniſſimi Regis* mandata mihi credita & litteras ad *Celſitudines Veſtras* ſcriptas huic Tabellario darem, quibus *Eccleſiarum* ærumnas, Pontificiorum inſidiis conflatas, & *theologorum* noſtrorum diſſidiis auctas, *ſerenitas ipſius* attingit, & opem illis afferri poſtulat. Quod negotii genus, cum per ſe ſatis arduum ſit, poſtulantis vero & eorum ad quos miſſi ſumus officio & munere digniſſimum, ab *Illuſtriſs. Celſitudinibus Veſtris*, pro dignitate ipſarum expenſum iri ſpero; ac quoniam in eo *Celſitudines Veſtræ* authoritate ſua plurimum poſſunt, præſertim vero gratia, qua apud cæteros *Illuſtriſſimos* I*mperii Principes* & *Ampliſſimos ordines* pollent, *Celſitudines Veſtras*, pro officii mei & muneris ſuſcepti ratione rogatas cupio, ut quod ab ipſis boni omnes præſtitum iri confidunt, *Eccleſiæ* laboranti manum illam ſalutarem porrigant, & ab infœlicibus contentionum procellis,

& *An-*

& *Antichristi* faucibus eripere conentur, quo ſane pietatis exemplo, nullum neque illuſtrius, neque ad omnem proſteritatis memoriam diuturnius edi poteſt.

Ignoſcant vero mihi *Celſitudines Veſtræ*, quod ad eas recta non contenderim, ita ptemente temporis anguſtia, & reditum meum urgente, ut quamvis *Germaniam* omnem & *Daniam* ipſam *Legationis* meæ cauſa perluſtrare conſtituiſſem, ſolum tamen *Illuſtriſſimum Electorem Saxonicum* & (ſi omnino temporis brevitas patiatur:) *Celſitudines Veſtras*, præter eos quos hactenus vidi convenire deinceps mihi liceat, quibus ſalutatis, & expoſita *Regis* mei poſtulatione, mox in *Galliam*, *Deo* dante, ſum reverſurus.

Quoniam autem eam eſſe *Celſitudinum Veſtrarum* humanitatem ſcio, ut quemadmodum in *Aula Anglicana*, *Brunſvicenſi*, *Landgraviana*, *Magdeburgica*, & *Anhaltina* & in hoc etiam optatiſſimum reſponſum tuli,

tuli, ita etiam *Serenissimi Regis* postulationi, & aliorum *Principum* Responsionibus consentaneam *Celsitudinum Vestrarum* voluntatem experturus sim, ab iisdem etiam peto, ut per literas studium illud suum *Serenissimo Regi* significent, & responsum huic tabellario ad me rediturо tradant, præsertim verò ut hac de re, cum *Illustrissimis Imperii Electoribus*, & cæteris *Principibus*, incitato illo suo & ardentissimo Zelo agant. Quod si (ut speramus) effecerint, & *Serenissimum Regem* summo sibi beneficio obstringent, & piorum omnium vota, pro salute sua promerebuntur. Interea *Deum* oro, ut *Celsitudines Vestras*, ad gloriam suam & *Ecclesiæ* propagationem diutissime servet.

Berlini xxvi. *Ianuarii* 1584.

LV.

L V.

EPISTOLA
LEGATI
AD
Electorem Brandeburgicum.

Illustrissime Princeps.

6a. *A*Prilis misi ad *Celsitudinem Vestram* litteras, quibus significavi, quales à multis mihi insidiæ struerentur, & qualia mandata ab *Imperatore* missa essent de me intercipiendo, eodem quoque tempore scripsi ad *Imperatorem*, simul missa peculiari instructione ad *Majestatem ipsius*, mihi à *Serenissimo Rege Navarreno* commendata, meisque litteris quam subjectissime rogavi, ut benigne permitteret me in *Germania* tan-

tantum temporis tuto verſari, quantum ſufficeret ac peragendam meam *Legationem.* Ex eo tempore intellexi, *Celſitudinem Veſtram* & *Illuſtriſſ. Electorem Saxoniæ, Ducem Brunſvicenſem* & alios *Principes* conveniſſe.

Cum autem mihi perſpecta ſit *Veſt. Celſitudinis* pietas, ſingularis virtus & propenſiſſimus ad bene agendum animus, non dubito quoque quin *Veſtra Celſitudo* mei meorumque negotiorum memor fuerit. Quamobrem *Veſtram Celſitudinem* ea qua decet ſubjectione rogo, ut dignetur ad me ſcribere, quid decretum fuerit à *Veſtris Celſitudinibus* in conventu illo *Dreſdenſi.* Rogo præterea quam humillimè, ut *Veſtra Celſitudo*, mandata ſua, conſilia & voluntatem mihi explicet, quid in hac tota re agendum eſſe cenſeat. Erubeſcò quidem toties *Veſtram Celſitudinem* ſcriptis interpellare: Sed confido in bonam partem omnia à *Celſitudine Veſtra* acceptum iri, ſi *Veſtra Celſitudo* proponat ſibi ante oculos dignitatem rei de qua agitur,

tur, quam sancta sit & quam necessaria.

Novit præterea *Celsitudo V.* integrum jam fermè annum *Legationem* istam durasse, & tamen nondum eventum eum, quem optare omnes pii debebant, consecutam esse, licet subierim multa pericula, plurimosque labores susceperim, & duodecim Coronatorum millia, ad causam istam peragendam consumpserim. Sed hæc omnia à me præclare insumpta esse ducam, si *Vestræ Celsitudinis* prudentia, consilio & authoritate, schismata illa exstinguantur, quæ nostras *Ecclesias* divellunt & infestant, ut deinde firmiori vinculo conjuncti, & florente concordia unanimi in *Ecclesiis* nostris, conjungantur quoque vires & Consilia ad oppugnandos *Antichristi Romani* conatus, in quo si *Celsitudo Vestra*, non solum meæ sed omnium bonorum expectationi satisfecerit, magnam consecutura est laudem & famam apud omnes posteros. Ego etiam tam pium & tam sanctum *Vestræ Celsitu-*

situdinis conatum & operam, omnibus in locis prædicabo. Interea *Deum Opt. Max.* rogo, ut *V. Celsitudinem*, cum tota *V. Celsitudinis Illustrissima* Familia quam diutissime in prosperitate continua conservet.

Datum Bremæ XXII. *Maii. Anno* 1584.

LVI.

ANHALTINI PRINCIPIS *AD* LEGATUM EPISTOLA.

REddidit nobis, *Illustris & Generose Baro*, Litteras vestras minister ille, quem ex *Dania* ad nos misisti, fueruntque nobis summæ voluptati & longè gratissimæ, cum quod hu-

humanissime scriptæ essent, tum etiam quod nos certiores redderent de negotio vestro fœliciter apud *Serenissimum Regem Daniæ* expedito & confecto. Gratulamur autem vobis, quod ex sententia hæc vobis res ceciderit, & quod commodum responsum tuleris, optamusque ex animo, ut gubernante *Deo*, totum hoc, quod agitis cedat ad gloriam Nominis Divini & salutem Ecclesiæ, studebimusque pro viribus & nos illud promovere, cum & *Deo* & *Ecclesiæ* hoc nos debere agnoscamus.

De eo autem quod *Cæsarea Majestas* ad *Electores* & *Principes* reliquosque *Imperii Ordines* scripsit, rescivimus quidem etiam antehac: at quo spectarent ista, & quis propriè peteretur conjicere aut statuere non potuimus, antequam literæ vestræ certùm nos docerent, non dubitamus vero *Electores* & *Principes*, reliquosque *Status* pro sua sapientia & moderatione, & respondisse, & facturos esse, quod æquitas postulat & per-

personam ipsorum decet, faciemusque juvante *Deo* idem & nos.

Quæ vero nostra de toto hoc negotio sit sententia, coram hic vobis exposuimus, & cum piam esse & æquitate niti judicemus, ideo firmiter eo inhæremus, petimusque amanter, ut ubi dante *Deo* in *Patriam* reversi fueritis, *Serenissimo Regi Vestro* eam referre & exponere, nosque *Serenitati ipsius* commendare, ac nostra studia referre velitis; atque ipsi, etiam vobis, nulla non humanitatis officia de nobis polliceri, faciemus certe semper, quantum poterimus, nec patiemur quicquam eorum, quæ ad tuendam amicitiam initam facere videbuntur, in nobis desiderari. Valete.

Datæ Dessavii in Aula nostra die Maji 10. Anno Domini 1584.

JOACHIMUS ERNESTUS Dei Gratia Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ & Bernburgi.

LVII.
LEGATI AD DUCEM SAXONICUM Epistolæ sex.

CUm à *Serenißimo* Rege *Navarreno* ad *V. Celsitudinem* ablegatus fuerim, *Illustrissime & Clementissime Princeps*, antequam in ipsius Aulam me conferrem, *Illustrissimæ Celsitudini V.* adventum meum per literas indicare volui, ut his veluti Parariis ad *Illustriss. Celsitudinem V.* bona cum ipsius gratia mihi pateret aditus. Quanquam ea sit hujusce *Legationis* causa, ut vel optimi *Regis* pietate, vel rei ipsius utilitate, *Celsitudinis V.* benevolentiam citra commendationem ullam promeritura sit, tamen ut hanc Epistolam scriberem itineris mei præviam *Il-*

lustris-

lustriss. Celsitudinis V. dignitas & muneris mei ratio fecit. Hoc igitur unum dicam ejus Principis nomine, cum *Ill. Celsitudine V.* mihi rem esse futuram, qui *Celsitudinis V.* amicitiam omnibus officiis & studiis in ipsam & pietatis in *Ecclesiam* conciliatam sibi cupit.

Quod autem ad *Legationis* ipsius causam attinet, cum ad *Ecclesiæ Dei* concordiam, Monstrique illius & *Antichristi Romani* depellendas Insidias illa spectet, *Celsitudini V.* quæ pietatis præcipuam laudem obtinet, nihil gratius evenire posse puto, quam ut hujusce rei conficiendæ rationes institui possint, qua de re cum apud *Illustriss. Celsitudinem V.* prolixius actutus sim, huic Epistolæ finem imponam, postquam *Deum Opt. Max.* oravero, ut *Illustriss. Celsitudinem V.* ad *Ecclesiæ* suæ utilitatem, & nominis sui gloriam salvam & incolumem quam diutissime servet.

Torgæ XXV. *Januarii* 1484,

L V I I I.

Epiſtola Secunda.

Illuſtriſſime Princeps ac Domine Clementiſſime.

CUm à *Sereniſſimo Rege Navàrrenò* ad *Illuſtriſſ. Celſitudinem Veſtram* ablegatus *Torgam* adveniſſem & *Celſitudinem V.* hoc in loco degere rumoribus accepiſſem, literas ad eam ſcripſi, partim ut adventus meus ſignificaretur, partim etiam ut bona cum *Celſitudinis V.* venia ad eam mihi pergere liceret. Verum cum literas itineris mei prævias conſecutus in hanc urbem appulerim, unde in eandem ſententiam ad *Celſitudinem V.* ſcribere conſtitueram; Ecce mihi præter expectationem *Illuſtriſſ. Celſitudinis Veſtræ Conſiliarii* ſibi mandatum narrant, ut *Legationis* meæ cauſam intelligant, & ad *Illuſtriſſ. Celſitudinem V.* referant. Neque eſſe quod ulterius

terius pergam, tum propter Itineris difficultatem & salebras: tum etiam propter *Celsitudinis V.* gravissimas occupationes. Ego vero, qui ab optimo *Rege* ad Eximium etiam *Principem* propter summas & gravissimas causas missus, tantum itineris terra marique, *Deo* Ductore, confeci, nulla viæ istius exiguæ asperitate deterrebar, quominus ad *Illustriss. Celsitudinem V.* me conferrem, præsertim cum à *Sereniss. Rege* mihi mandatum esset, ut eam ipsius nomine salutarem, literasque suas & mandatorum formulam *Celsitudinis V.* manibus ipse traderem.

Atque cum ipsius itineris difficultate non moverer, sola gravissimarum *Celsitudinis V.* occupationum facta mentio mihi remoram injecit. Interea autem ad *Celsitudinem V.* scribendum esse duxi, ut & moræ nostræ causas indicarem & *Celsitudinis V.* voluntatem explorarem, cui, sive cum suis *Consiliariis* acturus sim, sive uti speravi cum *Celsitudine V.* mihi res futura sit, omnino morem geram,

Hac igitur in re *Celsitudo V.* quid statuat exspecto, ipsamque obnixe rogo, ut literas meas & postulationem pro sua lenitate & clementia æqui bonique consulat. Hoc unum etiam peto & pro muneris mei ratione flagito, ut antequam ad legationis meæ causas responsum feram, sive à *Celsitudine V.* sive ab ipsius *Consiliariis*, *Serenissimi Regis Navarreni* literas & mandata, *Serenissimæque Reginæ Angliæ* & *Illustrissimorum Germaniæ Principum* Epistolas, in commendationem istius negotii ad *Celsitudinem V.* scriptas, non ex aliorum Relationibus, sed ipsa per se *Celsitudo V.* cognoscat: Hac enim *Legatione* nullam neque graviorem institui posse intelliget, neque *Reip. Christianæ* utiliorem, cum in ea communem *Ecclesiarum* omnium totius *Europæ* salutem, non autem privatam suam utilitatem spectaverit *Rex Navarrenus*.

Dresdæ 1. *Feb.* 1584.

LIX.

LIX.

Epistola tertia.

Illustrissime & Clementissime Princeps.

CUm ab *Illustrissimo Principe Domino Christiano Illustris Celsitudinis V.* gravissimum Responsum acceperim, istius Urbis finibus excedere nolui, quin prius urgentem illam & incredibilem animi lætitiam litteris meis testificarer, quam ex benigna illa & verè *Christiana* responsione tuli, quæ & mihi ipsi *Legationi* meæ gratulandi causam adfert, & spem etiam præbet quod à *Celsitudinis V.* majoribus susceptum est, asserendæ & constituendæ Ecclesiæ universæ institutum, id fœlicissimo auspicio vestro (ita *Deo* volente) perfectum iri.

Quod autem ad difficultates illas, quibus *Synodi* fructus interverti posse *Celsitudo V.* judicat, prudentissime

quidem hoc facit, & in eo cum ingenii præstantiam indicat, tum pietatis eximiæ vim ostendit, quod de totius negotii eventu tam anxie solicita sit. Sed cujus dexteritatis atque solertiæ ejusmodi difficultates providere, iisdem obviam ire, ejusdem etiam erit. Hæc sane res adeo magni momenti *Sereniss. meo Principi* visa est, ut ipsius jussu in *Germania* commorari decreverim tantisper dum *Celsitudini V.* aliqua patefaciam præter mandati meam formulam aperienda: Quæ quoniam eidem per occupationes ipsius coram enunciare non licuit, per *Dominum Paulum* aut *Dominum Pistorium* ad ipsam perferri expetebam; Sed quando hoc non potui, nonnulla ex iis *Celsitudinis V.* Consiliario cuidam commisi. Porro non modo *Celsitudinis V.* pia responsio, sed etiam ad ipsius responsionis calce addita, præter meritum, sedulitatis meæ commendatio, ita me totum *Celsitudini V.* devinxit, ut quibus laudibus potero, humanitatem istam & pietatem egregiam

giam apud Exteros omnes prædicaturus sim, & *Deum Opt. Max.* assiduis votis precaturus, ut *Illustrissimam Celsitudinem V.* ad suæ Ecclesiæ tutelam incolumem conservare velit.

Dresdæ VIII. *Idus Feb.* 1584.

L X.

Epistola quarta.

INgratus essem plane, *Illustrissime Princeps*, aut etiam officii mei atque muneris immemor, nisi *Celsitudinis V.* quæ me singulari humanitate sua sibi devinxit, & cujus potissimum authoritate res à nobis cæpta absolvi potest, administratæ meæ *Legationis* apud *Serenis. Regem Daniæ* & alios *Principes*, rationes redderem.

Dresda excessi. *Illustrissimis Principibus Duci Megapolitano* & *Duci Holsatico Serenissimi Regis Navarreni*

literas & mandata reddidi. Utrique vero illorum ita placuit institutum *Regis*, ita causa probata est, præsertim quod ad certaminum & discordiarum nostrarum formam conficiendam attinet, ut in eo strenuam operam responsione sua polliciti sint.

Quod autem ad *Serenissimum Regem Daniæ*, quem inculpatissima valetudine jam diu fruentem, præter opinionem eorum comperi, qui rumoribus ea de re sparsis nimium creduli fuerant: cum ab eo magnificentissimè per aliquot dies exceptus fuissem, & in congressu ipsius atque vultu appareret propter adventum meum hilaritatis significatio, re tandem intellecta, non modo verbis sed copioso etiam scripto, optimam *Serenissimi Regis Navarreni* voluntatem collaudavit, & ut pium istud negotium promoveatur officio suo se defuturum negavit.

Cum igitur ipsius *Majestatem* huic causæ æquissimam esse ostenderim,

rim, non dubito, quin si ad præclaros *Illustriss. Celsitudinis V.* conatus ipsius opera adjungatur, quicquid est in *Ecclesia* dissidii, quicquid ab exteris imminet periculi, utriusque ductu depellatur.

Superest, *Illustrissime Princeps*, ut quoniam ex omnium fere *Germaniæ Principum* colloquio & responsis, eo rem redire intellexi, ut (qua *Celsitudinem V.* observantia colunt) oculos ad eam omnes inflectant, & quid in hac re factura sit summo studio expectent, ad eandem etiam publico totius *Germaniæ* exemplo iterum confugiam, & ut rei tam piæ & *Christianæ* Colophonem imponat, precibus meis interpellem, tametsi enim in *Celsitudinis V.* responsione acquiescere debui, neque fidem ipsius appellare, quam idoneo tempore præstitum iri, non dubito (unde factum est, ut quominus ad *Celsitudinem V.* iterum convolarim, pudor ipse prohibuerit) tamen ut repetitas meas preces, inverecundis

istis

istis literis committerem, duæ potissimum res effecerunt. Prior est, quod antequam aliquid in causa mea statueretur *Celsitudo Vestra* cum *Illustrissimo Electore Brandeburgico* & aliis non nullis *Principibus* agere decreverat, & præterea quid in *Rotemburgicis Comitiis* fieret expectare. Utrumque verò contigisse intellexi, ut & *Comitiorum* dies exierit, & *Celsitudo V.* cum *Illustrissimis* illis *Principibus* colloquium habuerit. Altera est, quod à *Serenissimo Rege Daniæ* de nefaria illa conjuratione in *Regno Anglico* nuper detecta, certior factus fui, quæ paucorum aliquot cervicibus expiata atque suppressa, nondum tamen oppressa est. Unde futurum existimo, ut *Celsitudo V.* in pervidendis *Antichristi Vaticani* insidiis perspicacissima, non frustra neque temere fuisse judicet, quod *Serenissimus Rex Navarrenus* tum in *Anglia*, tum etiam alibi *Pontificem Romanum* cuniculis suis turbas moliri prædixerit.

Cum

Cum igitur *Ecclesias*, toto orbe *Christiano*, in maximo discrimene versari constet; Resque ipsa doceat à dissensionibus nostris ad earum exitium viam sterni, *Celsitudinem V.* exoratam cupio, ut quid in his ærumnis & *Reip: Christianæ* periculis, ipsa cum aliis *Principibus* statuerit, aperire velit, ut aliquid certi hac de re ad *Sereniss.* Regem *Navarrenum* scribere possim. Neve patiatur *Celsitudo V.* me tot exhaustis laboribus & sumptibus inanem & vacuum ex *Legatione* mea redire, pro *Ecclesiæ* salute suscepta, quæ si ex calamitatibus suis aliquando emergat, ipsius beneficio, eandem *Dei Opt. Max.* causam acceptam feret *Illustriss. Celsitudinis V.* pietati, cujus mandata, & quid hac in re me facere velit expecto, & à *Deo* postulo, ut *Celsitudinem V.* ad *Ecclesiæ* suæ salutem diutissimè incolumem servet.

Hamburgæ XXII. *Marty* 1584.

L X I.

L X I.

Epistola Quinta.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

OBsignatis prioribus meis litteris, perlatum est ad me Imperialis mandati ad *Bavaricum Ducem* exemplum, ex quo suspicari licet, insidias vitæ meæ strui, qua in re non civilia tantum, sed & Divina & Gentium jura violari constat, cum eam *Serenissimi* Regis *Navarreni* jussu personam hactenus sustinuerim, quæ sacra & ab omni injuria tutissima esse debeat, me præsertim adversus *Imperii* pacem nihil omnino moliente, ut *Illustriss.* Celsitudo V. judicare potuit ex iis scriptis, quæ *Serenissimi Regis* sententiam, aperte & sine fuco continent.

Quæ cum ita sint, exemplum illud ad *Celsitudinem V.* mittere volui, partim ut quid hac in re me facere

statuat

ſtatuat, intelligere poſſim, partim etiam ut *Celſitudini V.* cruenta *Pontificiorum* conſilia innoteſcant, qui *Principum* animos (ut modo *Potentiſſimi Cæſaris*) in bonorum perniciem inflammare non deſinunt, nulla neque juris neque *Germanici nominis* habita ratione. *Deus* vero *Opt. Max.* illorum conatus avertat & *Illuſtriß. Celſitudinem V.* ab omnibus adverſariorum inſidiis ad nominis ſui gloriam eripiat.

Hamburgæ XXIII. *Martii* 1584.

LXII.

Eidem *Duci*
SAXONIÆ
Epiſtola ſexta.

Illuſtriſſime & Clementiſſime Princeps.

SUperioribus diebus miſi ad *Celſitudinem* V. Exemplum literarum, quibus

quibus *Imperatorem Illustriss. Bavariæ Duci*, ut interciperer, mandasse acceperam. Quoniam vero ex eo tempore intellexi, multis *Principibus & Comitibus Religionis Romanæ* idem esse impetratum apud *Cæsaream Majestatem* litteris scriptis hac de re conqueror, addo litteras & mandata *Serenissimi Regis Navarreni*, ex quibus intelliget *invictissimus Cæsar*, me non modo ad *Illustriss. Germaniæ Principes* ablegatum esse, sed etiam ad ipsum *Imperatorem*, ad quem omnino venturus fueram, nisi de hoc mandato me intercipiendi satis superque constitisset, &, ut dicam id quod est, nisi cum *Berlino Dresdam* iter facerem, ex literis amicorum accepissem, quorumdam Calumniis *Legationem* meam apud *Imperatorem* in odium vocari (unde non satis tuta esset porfectio) ad *ipsius Majestatem* administrata apud *Celsitudinem V. Legatione* me contulissem. Hoc autem totum quicquid est scriptionis, tum à *Sere-*

Serenis: Rege *Navarreno*, tum à nobis ad *Cæsarem* rescribi volui, & ad *Illustr. Celsitudinem* V. mitti, an illa ad *Cæsaream Majestatem* perferenda sint: Facturus enim sum hac in re, quod *Ill: Celsitudo V.* imperaverit.

Quoniam vero propter mandatum *Cæsareum* vereor ut satis in absolvenda mea *Legatione* tutus sim. Idcirco quod prioribus litteris supplex petebam, id rursus a *Celsitudine* V. summis precibus postulo, ut qua ratione pro sua summa prudentia æquissimum judicabit, apud *Imperatorem* intercedat, ne quid in me contra morem Gentium gravius admittatur; & quod statutum est abrogetur. Interea quid mihi porro sit agendum à *Celsitudine V.* expecto, à cujus mandatis (uti *Seneriſſimus Rex Navarrenus* à Sanctissimis ipsius consiliis) totus pendeo, *DEUMQUE* oro, ut *Celsitudinem* V. salvam & incolumem, ad *Ecclesiæ* suæ utilitatem quam diutissime servet.

Bremæ VI. *Aprilis* 1584.

LXIII.

LXIII.

ELECTORIS SAX. AD LEGATUM RESPONSIO.

Augustus dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimarescallus & Elector &c.

QUo successu mandata *Regia* in *Dania* & *Megalopirgo* & *Holsatia* post abitum hinc tuum confeceris, ex literis tuis summatim intelleximus. Interea nos de sententia *Illustriss. Principis Domini Johannis Georgii Marchionis Brandeburgici & sacri Romani Imperii Electoris &c.* consilium cepimus. Sed

Sed deliberationis hujus de Concordia inter *Theologos* in universum constituenda gravissimam summam, in unius aut alterius voluntate & potestate positam non esse, pro tua prudentia tute ipse nullo monente perspicias, itaque omnino necessarium ad agendum tempus requiritur, cujus nos cursum & exitum expectare oportet. Donec plurium diversa & procul dissita loca incolentium sententiæ exquirantur.

Quod autem tu existimas hoc negotium sine mora prolixiore in *Conventu Rotenburgensi* expediri posse, id longe aliter se habet. Neque enim præter *Brandeburgicos*, *Vitemburgicos* & nostros ulli aliam *Evangelicam Veritatem* profitentium *Principum Legati* eo fuerunt evocati, atque hi etiam usque adeo nuper congressi sunt, ut quid ab illis sit actum, hactenus adhuc plane ignoremus. Quæ cum ita sint, neque aliquid de tota re certi ad *Sereniß Navarrorum Regem* perscribi ante possit,

quam

quam eorum quorum interest *Principum* suffragatio huc accesserit, recte equidem fecisti & prudenter, quod huc è *Dania* non redieris: frustra enim ad incertum casum laborem & sumptum impendisses, & quid adventus tuus, ad promovendam deliberationis usque adeo latè diffusæ celeritatem profuturus fuisset, non videmus. Bene vale & nos tibi benigne cupere confidas.

Dresdæ III. *Non. April Anno* 1584.

AUGUSTUS

Dux, Saxoniæ Elector.

LXIV.

LXIV.

LEGATI

AD

ELECTOREM

SAXONIÆ

EPISTOLA.

Illustrissime & Clementissime Princeps.

VI. APrilis misi ad *Celsitudinem Vestram* literas, quibus conquerebar de iniqua *Imperatoris* in me voluntate, & de illius *Majestatis* mandato, ad multos, ut me interciperent. Qua in re ostendebam non civilia tantum sed Divina & Gentium jura violari, cum *Sereniss. Regis Navarrenus*

jussu eam personam hactenus sustinuerim, quæ sacra & ab omnibus injuriis tutissima esse debeat, eodem quoque tempore ad *Imperatorem* scripsi, missa simul peculiari forma Instructionis mihi commendatæ à *Rege Navarreno* ad *ipsius Majestatem*: Rogavi quam humillime ut benigne concederet mihi tantum temporis in Germania tuto versari, quantum plena mei negotii Expeditio requireret; & ut sub ipsius favore & gratia me ad reditum præparare possem.

Verum Minister meus post moram decem dierum in *Aula Imperatoris* rediens, nullum attulit ab eo Responsum. Qui etiam cum transiret *Dresda*, non ea fuit præditus prudentia, ut ibi aliquot dies commoraretur donec cæteri *Principes* qui *V. Celsitudinem* convenerunt, *Dresda* decessissent, quo facilius & commodius à *V. Celsitudine* Responsum ad meas literas acciperet, ex quo mandata, consilia & voluntatem *Celsitudinis V.* percepturus eram.

Hac vero in parte cum agnoscam ipsum

ipſum graviſſime erraſſe, remque mihi maxime ingratam feciſſe, auſus ſum iterum ad *Celſitudinem V.* ſcribere, quo eum officioſiſſime, & ea qua par eſt, reverentia obſecrarem, ut dignetur ad me mittere, quod cum *Illuſtriſſimis Electore Brandeburgico* & *Duce Brunſvicenſi* & aliis *Principibus* decretum fuerit à *Celſitudine V.* in eo quod ad meum Negotium ſpectat, tantum nam confido *V. Celſitudinis pietati*, ſingulari prudentiæ & benevolentiæ, ut non dubitem ullo modo, quin meum negotium *V. Celſitudini* ſit commendatiſſimum. Cæterum *V. Celſitudinem* quam ſubjectiſſime rogo, ut æqui bonique conſulat, quod crebrius ad eam ſcribo, ſpero etiam propter magnitudinem ſancti iſtius & toti orbi *Chriſtiano* neceſſarii negotii, me apud *Celſ. Veſtram* ſatis excuſari.

Præterea jam integrum ferme annum conſumpſi in iſta *Legatione*: Nec tamen hactenus perficere potui; quod ad abſolvendum hoc negotium pertinet, licet multa graviaque incurrerim

pericula multosque & magnos labores susceperim, nec non duodecim millia Coronatorum in hanc causam jam consumpserim. Verum tamen si fœlicem successum atque eventum hujus negotii paratum mihi esse viderem, & si scismata & dissensiones, quæ sunt in *Ecclesiis Evangelicis*, extinctæ atque hæ ipsæ *Ecclesiæ* arctissimo concordiæ vinculo conjunctæ & unitæ essent, ad facilius oppugnandos atque evertendos *Antichristi Romani* conatus, bene collocata esse illa omnia prædicarem, & cum omnia pendeant à *V. Celsitudine*, cujus pietate, virtute & sapientia vel eundem firmiorem confido consensum constitui posse, melioremque quam antea unquam rerum tam Ecclesiasticarum quam politicarum administrandarum rationem futuram esse, *Vestram* igitur *Celsitudinem* quam humillime rogo, & per *Deum* obtestor, ut consiliis & authoritate sua me juvare dignetur, quo fideliter tam sanctum & tam necessa-

cessarium negotium conficiatur, mihique significet quid constitutum sit à *Vestris Celsitudinibus* super hoc Negotio. Interea *Deum Opt. Max.* præcor, ut *V. Celsitudinem* totamque *V. Celsitudinis Illustrissimam Familiam* quam diutissime florentem conservet.

Datum Bremæ XXII. *Maji Anno* 1584.

LXV.
JOHAN.
CASIMIRI
COM. PAL.
AD
LEGATUM
RESP.

Johannes Casimirus comes Palatinus Reni, Tutor & Palatinatus Electoralis administrator, Dux Bavariæ, &c.

REddidit nobis litteras tuas *D. Callignonius* fideliterque exposuit.

fuit quæ abs te cum *Dania Rege*, cæterisque *Germaniæ Principibus* tractata fuere, quod nobis & audire & legere longe gratissimum accidit; verum quod animo hæres & consilium à nobis petis, quid porro tibi agendum sit. Hortamur te & spondemus quam primum ad nos venias, ut coram de toto negotio conferamus, & quid statuendum sit maturè & solide deliberemns. Hoc enim & causæ magnitudo atque tui & utriusque nostrum necessitas requirit. Poteris autem id tuto facere, si salvum conductum ab utroque *Principe* & Affinibus nostris *Duce Julio Brunsvicensi* & *Landgravio Guilhelmo* petieris, quibus nos jam scripsimus, eosque rogavimus ut adjunctis aliquot equitibus, te tuosque per suas ditiones *Francoforđiam* usque deduci securè curent. Inde ad nos, si scripseris, dabimus operam, quo tuto ad nos pervenire possis. Interea per litteras monere non inutile esset *Electorem Saxoniæ*, ut te cum cæteris

Prin-

Principibus deliberata, responsum *Guilhelmo Landgravio* mittat, qui ad nos perferri id ipsum, ea de re abs te admonitus, curabit.

Porro quod ad merces illas, quas tecum in *Germaniam* adduxisti, attinet, statues de iis quod voles. Quod si *Bremenses* eas diutius in sua custodia detinere recusaverint, existimamus tum *Argentinam* vel *Basileam* deferendas, ibique deponendas esse. Vale.

Heydelbergæ prid. Calend. Maji Anno post partum Virginis. 1584.

JOHAN. CASIMIRUS.

L X V I.

J U L I I BRUNSVICENSIS DUCIS

AD LEGATUM

RESP.

Julius Dei Gratia Dux Brunsvicensis & Luneburgensis.

SAlutem cum favore nostro, Nobilis & imprimis dilecte. Nobis allatæ sunt literæ vestræ scriptæ 18. Junii: Ignoramus cur tam diu commoretur Minister vester, quem ad *Imperatorem* & ad *Electores* allegastis, nec animadvertere possumus, qua

qua ratione (nisi ab omnibus *Electoribus*, *illustriß. Principibus & ordinibus Imperii* nostræ *Religionis* addictis ad communem deliberationem res deducatur) in conventu, aliquid certi de vestra *Christiana Legatione* concludi queat, in qua re duo *Illustriß. Electores Saxo* & *Brandeburgicus* & nos unanimes sumus, ex his apud vos cogitare potestis, quo pacto vobis ulterius sit procedendum.

In nostro aditu invenimus quoddam scriptum *Palatini Johannis Casimiri Tutoris & Palatinatus Electoralis Administratoris* ad nos missum, ex quo percepimus ipsum summopere velle ut *Heydelbergam* vos conferatis, & nos præsto sumus, si per *Provincias* nostras transeatis, vobis salvum conductum & auxilium dare, ut tutius vobis sit iter & vobis omne officium & gratiam nostram offerimus, in quacunque re poterimus.

Datum Hendricopoli in Aula nostra 27. Maji Anno 1584.

JULIUS.

LXVII.

LEGAT

AD

DUCEM

JULIUM

BRUNSVICENSEM

EPISTOLA.

Illustrissime Princeps.

Constitui, *Deo* juvante, prope diem me itineri committere, ut *Illustriss. Ducis Joh: Casimiri Palatini* voluntati obsequar, & ut quacunque ratione fieri possit *Legatio* mea fœlicem progressum assequatur: Cum autem permulti nobis adversantur & dent operam ne res *Ecclesiæ* salutaris prospere, & feliciter nobis cedat,

cædat, *Celsitudinem V.* obnixe rogo, ut pro sua solita clementia & benignitate, mihi plenum & amplum salvum conductum elargiri velit, quo tutius, & commodatius nobis sit iter, per *V. Celsitudinis* Provincias & per ditiones *Illustrissimi Ducis Erici* *Celsitudinis V.* agnati.

Ingentes porro *Celsitudini V.* ago gratias, quod superioribus suis proximis litteris, eadem mihi, etiam multa plura benigne obtulerit. In itinere quidem libenter ad *Celsitudinis V.* Aulam contenderem, & mandata Vestra voluntatem & consilium acciperem: Sed vereor ne meis interpellationibus *Celsitudinem Vestram* impediam aut aliquid molestiæ *Celsitudini V.* afferam. Verum tamen *Celsitudinem V.* vehementer rogo, ut mandet & consulat, quæ mihi agenda esse existimabit, ego illa omnia fidelissime & diligentissime exequar.

Cæterum mirari satis nequeo, cur *Illustrissimi Electores, Saxo & Bran-*

deburgicus nunc protrahant negotia *Legationis* meæ ad conventum quendam, qui habendus sit, *Electorum Principum* & *Ordinum*, quicunque religioni nostræ addicti sunt, cum spem conceperim sex mensium spatio (qui integri elapsi sunt, à quo in *Germania* versor) fieri potuisse, ut certiores ab illis facti *Principes* de tempore & loco, quando & ubi habendus esset conventus, aliquid certi constituissent, præsertim cum *Serenissima Regina Angliæ*, *Rex Daniæ* & *Illustriss. Celsitudo V.* & cæteri ferè omnes *Principes Protestantes Germaniæ* ejus sint sententiæ, ut approbent *Legationem* istam, quemadmodum de illorum voluntate & scriptis certiores feci *Illustrissimos Electores*, præsertim vero *Saxonem*.

Mora autem ista, qua remittitur ad conventum illum *Legatio* mea (licet molestissima sit & importuna) non tamen efficiet, ut ego desistam ab instituto. Negotium enim à me

susceptum

suſceptum tam ſanctum & neceſſarium, tantique momenti eſt, ut in animo habeam potius mori, in perſequenda *Legatione* iſta, quam eam imperfectam deſerere.

Interea verendum eſt, ne dum in longum producitur hoc negotium, aliquid mali bonis contingat, cui deinde mederi difficillimum ſit. Spero etiam fore, ut *Illuſtriſſimi Electores*, meis crebris interpellationibus commoti, vel tandem excitentur ad id faciendum, quod non rogati & ultro concedere deberent. Sed non dubito ſæpius à *Celſitudine V.* eadem flagitare, cum certo mihi ſpectata ſit *Celſitudininis V.* Zelus & Virtus ad veram *Religionem*, & optima voluntas, quam omnibus antea notam, multo melius deinde cognovi ex reſponſo, quod *Celſitudo V.* miſit ad *Sereniſſimum Regem Navarrenum*, quo eum *Celſitudo V.* adhortabatur, ut cœptis inſiſteret, & alacri animo tandem elaboraret, donec negotium ipſum fœliciter perageretur.

So-

Solum ut ingenue fatear te agnosco, *Illustrissime Princeps*, quem secundum *Deum* imprimis oportet *Legationem* istam ad exitum perducere. Quapropter *Celsitudinem V.* rogo, ut quemadmodum hactenus affecta fuit erga hoc negotium, sic deinceps quoque laudem tam sancto opere dignam, suo ductu authoritate, prudentia & consiliis acquirat. Ego interim *Deum Opt. Max.* oro, ut *Celsitudinem Vestram* cum *Celsitudinis Vestræ Illustrissima Familia* quam diutissime sospitem conservet.

Datum Bremæ VIII. *Junii Anno* 1584.

LXVIII.

LXVIII.

ELECTORI SAXONIÆ.

Illustrissime & Celsissime Princeps.

26. Die May scripseram ad *Celsitudinem V.*, sed cum minister meus in superiorem *Saxoniam* pervenisset, intellexit *Celsitudinem* V. valetudinis curandæ causa ad fontem acidum *Swalbachicum* contendisse. Dissessi igitur quam primum, *Brema*, ut *Celsitudinis* V. reditui obviam irem, sed ex *Illustrissimo Landtgravio* rescivi *Celsitudini* V. per valetudinem non licere ante aliquot dies itineri se committere. Idcirco operæ pretium esse duxi, ut me conferrem ad *Illustrissimum Ducem Ioh. Casimirum Palatinum*; à

quo

quo litteris accersitus sum, ut apud eum *Celsitudinis* V. mandata & voluntatem expectarem, num scilicet ulterius prosequenda esset à me *Legatio* ista.

Equidem ut *Celsitudinem V.* coram & reverenter submisse salutem & *Celsitudinis V.* mandata ipsemet acciperem, ad eam iter suscipere magnopere & ardenti desiderio exoptabam: Sed veritus ne mea præsentia *Celsitudini V.* molestissima esset, præsertim hoc tempore, quo intenta est omnino *Celsitudo V.* ad Valetudinem curandam, non esse faciendum existimavi. Præterea in hoc loco rumorem spargi audivi Regem *Navarrenum*, post obitum *ducis Alensonii à vera Religione* defecisse. Sed eum confictum esse omnino credo ab iis, qui hactenus voluptatem cepere maximam ex tumultu & excidio infelicis *Galliæ*, eamque bellis continuis & cædibus deplorandis penitus delere & evertere semper conati sunt. Quapropter

ter ne *Celsitudo V.* huic falsissimo rumori fidem adhibeat, neve eo impediatur, quominus à *Celsitudine V.* bonum responsum impetrare possim, summopere contendo. Hoc enim omnino spectat ad Gloriam divini nominis & ad suæ *Ecclesiæ* concordiam & conservationem, neque solum ad *Regem Navarrenum* peculiariter & proprie, sed sive verus sit hic rumor, sive mortuus sit *Rex* ipse *Navarrenus* (quod utrumque *Deus* avertat, neque id mihi persuaderi patiar:) non desistam tamen hoc negotium prosequi. Quoniam & sanctum & necessarium, magnique ponderis esse omnes pii intelligunt, ideoque à nobis non deserendum, non enim tantum à *Rege Navarreno* id mihi injunctum est & commendatum; sed etiam à *Principe Condéo* & ab omnibus *Ecclesiis Gallicanis*, quod cum opus erit testimonio comprobabo, atque etiam ipsa *serenissima Angliæ Regina* literas ad *Celsitudinem V.* & ad alios *Illustriss. Principes*

cipes

cipes ſcripſit, ex quibus apparet, quanta cura *optima Princeps hanc Legationem* ſecundum aliorum quoque omnium piorum vota promoveri cupiat.

Quapropter *Celſitudinem V.* ſubmiſſè rogo & per *Deum* obteſtor, ut tali reſponſo me dignetur, quod & omnium bonorum exiſtimatione & congratulatione dignum ſit, & ad *Eccleſiarum Chriſtianarum* conſervationem non leve pondus habere poſſit.

Videmus *Pontificios* unanimi conſenſu eſſe & ſe vinculis firmiſſimis conjungere, ut nobis noceant. Conjungamus nos igitur aut ſaltem vitemus majores occaſiones *Eccleſias reformatas* inſimulandi, quod in fundamentis *religionis* ſuæ diffideant, ut ſic majori cum fructu *Antichriſti Romani* conatus depellere ipſiuſque vires nobis maxime noxias infringere valeamus. Obſecro igitur *Celſitudinem veſtram*, ut dignetur meis crebis interpellationibus finem imponere.

nere. Erubesco enim quod tot iteratis meis scriptionibus *Celsitudini V.* me molestum esse oporteat.

Peto denique à *Celsitudine Vestra*, ea qua decet submissione, ut pro sua prudentia & authoritate faciat, ut tanto tempore tuto mihi in *Germania* versari liceat, quanto *Celsitudini V.* necessarium & commodum esse videbitur. Quod ut facilius fiat, enixe quoque rogo *Celsitudinem* V. ut salvum conductum mihi sua singulari benignitate elargiatur, Interea *Deum Opt. Max.* præcabor, ut *Celsitudinem* V. quam diutissime incolumem conservet.

Datum Cassellis XXV. Junii Anno 1584.

LXIX.

LXIX.

ELECTORI SAXONIÆ.

Illustrissime & Clementissime Princeps.

PRæterit jam annus cùm hanc *Legationem* de sententia *Sereniss. Regis Navarreni* imponi mihi passus sum. Quæ cum *Christi* causam agat, & omnino pertineat ad gloriam *Dei* & *Ecclesiarum* salutem, dignam certe judico, quam *Principes* protestantes utraque manu amplecterentur.

Sed experior & affirmare cum summo animi dolore cogor nos hactenus in eo negotio parum proficere potuisse, quamvis à me nihil omissum sit, omnibus viis & mediis que-

quesitis, quæ ad hoc fœliciter peragendum, commoda & necessaria esse viderentur.

Interea tamen cum hæc apud me considero, video, proh dolor! publicas calamitates & vulnera *Ecclesiæ* augeri & in dies recrudescere: dum audimus *Electorem Coloniensem* non solum dignitate sua dejectum, sed etiam tota *Germania* expulsum esse, tum *Principem Auriacum* à Perditissimo Sicario nuper interfectum esse, totum, vero *Belgium* jam dudum multo sanguine conspersum, rursus extrema & Tragica quæque metueræ.

Quod idem in *Anglia* accidisset, nisi nefaria conjuratio adversus *Reginam* in eo *Regno* scelerate inita, summo Dei beneficio detecta fuisset. Hæc dum ipse tristis mecum considero, à *Rege Navarreno* & multis amicis viris præstantibus in *Patriam* revocor, qui sperant me multo magis profuturum in *Galliis*, quam si frustra me diutius in *Germania*

mania detineri patiar, quorum consilio etsi obtemperare constitueram: nolui tamen committere, quin prius *Celsitudinem V.* de hoc meis literis certiorem facerem, & ea, quâ par est, reverentia, submisse rogarem, ut pro sua Pia & Clementi affectione erga *Ecclesias*, in tot *Regnis* periclitantes, mihi significare dignetur, num hoc sanctum negotium, quod jussu *Regis Navarreni* hactenus non sine magnis sumptibus & laboribus persequor, bono, benignoque responso dignum judicet, quod quidem *Celsitudinis Vestræ* exoptatissimum responsum, summo cum desiderio integrum adhuc mensem in *Germania* expectaturus sum.

Quapropter à *Celsitudine V.* summopere peto, eamque per *Deum* obtestor, ut quicquid ad *Dei Gloriam* & *Ecclesiarum* pacem & conservationem spectans, consulere & respondere dignabitur, intra tempus jam designatum ad me mittere

& per-

& perferri clementer curet.

Quod si existimaverit *Celsitudo V. Synodum* hoc tristi tempore nondum convocari neque Sententiarum & animorum conjunctionem in hac causa tam cito constitui & firmari posse, rogo tamen *Celsitudinem V.* ut saltem pro sua Authoritate curet, ut omnium repurgatarum à *Pontificiis Idolis Ecclesiarum* nondum conciliatæ controversiæ, ad *Synodum* dijudicandæ reserventur, neque cuiquam privatim, in alterius fraudem & præjudicium quicquam interea statuere liceat: præterea, ut acerbis illis contentionibus, quibus hactenus voce & scriptis inter se *Theologi* quidam rixati sunt, silentio tandem finis imponatur, ut ejusmodi disputationibus sepositis, *Christiana Charitas*, & animorum fraterna conjunctio, coalescat.

Concludam igitur Epistolam meam his verbis, quibus ante aliquot annos quidam vir optimus promovere voluit *Ecclesiæ* propagationem,

tionem, scribens ad potentissimum quendam *Principem*. Circuit jam *Christus* esuriens, sitiens, nudus, vinctus, conquerens de *Antichristi Romani* rabie, de quorundam impiorum *Regum* injustissima asperitate & sævitia, petens ne lacerentur crudeliter membra sui corporis, sed ut vulnera saucii & spoliati viatoris, *Luc.* x. Salutaribus remediis sanentur, & concordia pia consensuque Christiano, moderatis consiliis, & legitimis modis satiatur, defendanturque *vera Ecclesia*, & ornetur *Evangelium*, hunc *Angelum* magni Consilii, & *æterni Patris* summum veracissimumque Legatum, pie agnoscere, reverenter excipere, benigne fovere, magni, potentis, & vere pii *Principis* est officium, & cultus *Deo* gratissimus, valeat *Vestra Celsitudo Deusque Opt. Max.* eam quam diutissime florentem conservet.

Datum Cassellis XXIII. Julii Anno 1584.

LXX.

LXX.

ELECTORI SAXONIÆ.

Illustrissime & Clementissime Princeps.

23. JUlii scribebam *Cassellis* ad *Celsitudinem* V. me brevi reversurum ad *Regem Navarrenum*; eo quod ab ipso accitus essem, Protraxi autem discessum meum ut responsum *Celsitudinis* V. jam diu a me expectatum, mecum afferrem. Sed non sine dolore experior, hanc quoque moram spei & expectationi meæ satisfacere non potuisse. Et arbitrabar certe magnitudinem & pondus rei, quæ a me tractatur, *Celsitudini* V. calcar adhibiturum esse, ut cum benigno responso ex *Germania* me dimitteret. Quod quia

factum non est, peto à *Celsitudine V.* ea qua par est reverentia & submissione, ut benigne adhuc cogitet, an non *Legationis* istius negotium satis per se dignum videatur responsione. Profecto enim vereor ne *Germanos* tandem pœniteat se *Regis Navarreni* consilium atque institutum opportuno tempore secutos non fuisse, idque propter multas causas, & præsertim propter ejectum *Truchsesium* & amissum fere *Belgicum*, quo in adversariorum potestatem redacto timendum est, ne rabies furorque *Pontificis Romani*, & *Regis Hispaniæ* potentia sese in *Germaniam* convertat, quod tamen, ut *Deus Opt. Max.* avertat, assidue rogandus est.

Celsitudinem igitur *V.* denuo submisse rogo, ut sententiam suam de negotio à me proposito, responso tandem aliquo explicare dignetur, nec patiatur me sine eo in *Galliam* redire, quod sane mihi gravissimum molestissimumque esset.

For-

Fortaſſis autem rumores quidam falſi de defectione *Regis Navarreni* à *Vera Religione* impedierunt, quo minus ullum reſponſum à *Celſitudine V.* acceperim. Sed audiam quæ illi prodierint; ſane qui ſpargere eos auſi ſunt, videntur ii peſſimo animo præditi, cum non erubeſcant talia de *Optimo Principe* afferre, qui nunc etiam propenſior eſt ad bene agendum quam unquam antea, id *Celſitudo V.* cognoſcere potuerit, ex extracto cujuſdam Epiſtolæ ſcriptæ ex *Monţepeſulo* ad *Illuſtriſſimum Ducem Johannem Caſimirum generum Celſitudinis V.* inde etiam patebit *Principum* aures non tam faciles eſſe debere ad recipienda ea omnia, quæ à diverſis Hominibus proferuntur.

Hæc ſunt, *Elector Illuſtriſſime*, quæ jam habui ut ad *Celſitudinem V.* ſcriberem, quam iterum atque iterum ea qua decet reverentia obſecro; ut reſponſum *ſua Celſitudine* dignum ad me brevi mittere dignetur, &c.

à Breme 28. *Auguſti* 1584.

L X X I.

Mandata à nobis Henrico Dei Gratiâ Rege Navarreno, Principe Bearniæ, &c. Domino Jacobo Segurio Pardiliano domui nostræ Præfecto & Interioris nostri Consilii primo Consiliario tradita, ex quorum formula cum Illustrissimis Sacri Romani Imperii Electoribus, reliquisque Germaniæ Principibus, qui Religionem Reformatam profitentur, nostro nomine acturus est.

EUndem *Illustrissimum Principem* nostris verbis officiosissime salutabit, benevolentiam erga ipsum nostram, eximium amorem & observantiam testabitur, desideriumque illud

illud exponet quo ſub initium ſuperioris anni tenebamur; peragrandæ ſcilicet *Germaniæ*, & cum *Illuſtriſſimo illo Principe* amicitiæ firmandæ, quem de *Republica Chriſtiana* optime meritum eſſe novimus, cui profectioni, cum exorientes ſubinde turbarum ſuſpiciones adverſarentur, & juſtas commorandi cauſas innecterent, ſe à nobis ablegatum eſſe ſignificabit, ut quæ ſuperius dicta ſunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum *Eccleſiæ Chriſtianæ* ſtatum, ipſius oculis ſubjiceret: præſertim vero de quærendis diſſenſionum noſtrarum remediis & conſtituendo *Eccleſiarum* unanimi conſenſu conſilia communicaret.

Exponet igitur imprimis, quantopere neceſſaria ſit inter *Principes* & *reliquos Ordines*, eidem *Religionis* cultui deditos, Concordia: & quantum ex inteſtinis noſtris de doctrina diſſidiis periculi contrahatur *Eccleſiæ*, unde & ipſis in medio fere curſu mora injecta, & infirmis, ad veri-

tatem properantibus, impingendi occasio præbita sit.

Hujus mali fontem atque adeo authores à nobis non inquiri, quod fine nostro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum satis constet, perspecta morbi natura, probos omnes viros vulneri remedium expetere; quod & reperire utilius sit & vere facilius, quam de Procellarum istarum authoribus convenire.

Cuilibet *Christianæ Fidei* Rudimentis imbuto notum esse, *nostrum* in præcipuis doctrinæ capitibus consensum, præsertim in gratuita peccatorum remissione, per *Christi* sanguinem *Æterni Dei Filii*, & unius generis humani *Mediatoris*, omnibus in ipsum credentibus parta, unde fit ut iisdem rationum & argumentorum telis, *Antichristi Romani* præstigias & errores oppugnamus, in ipsoque adeo *Cœnæ* negotio, de quo præcipua disceptatio est, de *Sacramenti* substantia conveniamus. Cum nemo sit qui se verum corpus *Chri-*

Christi in *Eucharistia* assumere diffiteatur.

Cum itaque nulla superest controversia, nisi in ipso percipiendi modo, & præsentiæ ratione, intolerandum prorsus videri, ut in quærendo modo, plane modum adhibeamus nullum omnem contra excedamus.

Pontificios longe majus prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidisse, qui ante bellum ipsis indictum; à *summo illo sanctæ memoriæ Luthero*; capitalibus inter se ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo ut *Scholastici Interpretes* in duodecim fere discrepantes distraherentur sententias, tanta videlicet animorum contentione & pervicacia, ut de concepta opinione, nemo discedere vellet, quemadmodum in *Lombardi*, *Schoti*, *Thomæ*, *Durandi*, Pici, *Bielii*, *Bonaventuræ* & aliorum monumentis videre est: qui cum se ictibus antea jugularent, artibus tandem & authoritate *Pontificum*, majori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compres-

sa sunt ejusmodi dissidia, quod ut à nobis, vel hostium exemplo, in controversia longe minus acerba fieret, tanto præsertim imminente ex dissensionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad hujus morbi curationem *Ecclesiam* illam priscam nobis facem prætulisse, cum in similibus controversiis, secessionibus & Schismatis, ut occasionem præcideret, nihil prius haberet, neque antiquius *Synodorum indictione*, quæ scilicet infinitis prope vulneribus remedium attulerunt. Majorum igitur more ab *Illustrissimo Principe* postulare nos, ut apud se pro sua prudentia & propensissimo in gloriam *Dei* studio expendat, an *Ecclesiis* & *Reip. Christianæ* expediat, ad dejudicandas controversias nostras, universalem instauratarum totius *Europæ Ecclesiarum Synodum* haberi, ea scilicet lege, ut ad conventum illum de controversis inter nos capitibus referatur, & possint accurata disceptatione, expensis omnium *Sententiis*, dissensiones dirimi. Quod

Quod si hujus *Consilii* indictionem, à re *Christiana*, uti nos existimamus, esse putet, ab eodem *Illustrissimo Principe* flagitare nos, & omni contentione petere, ut cum reliquis *Imperii Principibus* hac de re diligenter agat.

Quoniam autem hujus morbi medicinæ moram attulerunt procellæ illæ, quibus jactantur *Ecclesiæ* multis *Europæ* locis, partim bello petitæ, partim crucem expertæ, unde fit, ut laborantibus illis, tetrum hoc vulnus, eorum importuna contentione & ambitiosis disputationibus subinde recrudescat, quorum muneris erat ulcus ipsum, adhibitis acopis mitigare; Eo denique acerbitatis provecta sint partium studia, ut se præjudicatis sententiis mutuo damnaverint, & ab *Ecclesiæ* communione, suo quidem judicio, exturbarint. Quod sæviendi genus ejusmodi videtur, ut præsenti remedio egeat, neque sit ipsius in futuram *Synodum* differenda curatio, discriminisque illius depellendi ratio, quod & *Verbum Dei* ludibrio,

& ipsius *Ecclesiam* direptioni exposuit; *Illustriss.* eundem *Principem* rogabit noster *Segurius*, ut tantisper dum paratur generalis illa *Synodus*, curationem istam sibi cum aliis *Germaniæ Principibus* prævertendam suscipiat, quæ duabus rationibus commodissime absolvi possit.

Altera quidem, si omnium utriusque professionis *Ecclesiarum* controversiæ ad *Synodum* dijudicandæ referantur, neque cuiquam privatim in aliorum fraudem & prejudicium quicquam interea statuere liceat.

Altera vero si acerbis istis contentionibus, quibus hactenus & verbis inter se rixati sunt *Theologi* & Scriptis, silentio tandem finis imponatur, & ejusmodi disputationibus explosis, *Christiana* charitas & animorum fraterna conjunctio revocetur.

Quod quidem *Serenissimus Rex Navarræ* ab *Ecclesiis Gallicis*, à quibus hac de re rogatus est, tam suo quam ipsarum nomine bona fide præstitum iri spondet.

Quod autem ad *Synodum* ipsam attinet, hæc etiam *Illustrissimo Principi* significabit *D. Segurius*, nulla ratione infœlicissimum illud de *Cœna Domini* dissidium meliùs & facilius, nostro quidem judicio, sanari posse, quam si vetusto & jam ab *Apostolicis* temporibus repetito more, *Synodus* habeatur. Quod quoniam *Illustrissimi Principis* opera confici, aut saltem promoveri posse speramus, orare nos iterum, ut tam pio & salutari operi manum admoveat, & oblatam de *Ecclesia* bene merendi occasionem arripiat.

Non esse nos ea pervicacia, aut in tuendis nostris opinionibus tenacitate, ut si *concilium* illud ineatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus, imo paratos esse omnium animos ad concordiam ineundam, & ea dogmata suscipienda, quæ *verbo Dei* consentanea futura sunt.

Quod nos alii *Zwinglianos* alii *Calvinistas*, *Sacramentarios* plerique vocant, perperam id quidem fieri &

nullo nostrò merito, cum in *Christi* solius verba juraverimus, nullius sententiæ addicti, nisi quatenus *veteris & novi fœderis* doctrinæ congruit.

Quod si ab ullius mortalis nomine adoptanda nobis esset appellatio, potiori jure utique *Lutheranos* vocatum iri, cujus sane nominis invidia cum laborarent *Galli*, infiniti prope per Sexaginta annos cæsi, exusti, equuleis admoti & omni genere crudelitatis extorti, præclarum *Christianæ doctrinæ*, quam à *Luthero* primum acceperant, testimonium ediderunt, & sanguine suo, per *Dei* gratiam, obsignarunt: ut vere à nobis asseri possit, plures propomodum *Martyres*, quos *Lutheranos* tunc temporis vocabant, *Galliam* edidisse, quam reliquos omnes totius *Europæ* regiones.

Lutherum ab *Ecclesiis Gallicis* ut ipsarúm in *Christo* parentem, agnosci, quod illius ministerio veritas primum è latebris eruta sit, ejus vero doctrinam & eruditionem adeo à nostris ama-

amari, & suspici, ut unum illum repetita ab *Apostolorum* seculo memoria fuisse existiment, qui scriptis suis & laboribus *Ecclesiæ* plurimum contulerit.

Qui nostro sæculo florent, & *Helveticam* sive *Gallicam* confessionem tuentur, acerbius quidem & odiosius infœlicissimam de *Cœna Domini* disputationem attigisse; sed ex aliis plerosque, hac etiam culpa non carere. Verum non decere nos propter unius, aut alterius acerbitatem, perpetuis inter nos dissensionibus flagrare, & *Ecclesias* integras privatorum odio prægravari.

Plerisque in *Germania*, præsertim è vulgo, ita de *Gallicarum Ecclesiarum* doctrina persuasum esse, quasi erronea sit, & qualibet hæresi, vel etiam *Pontificia*, longe deterior. Qua in re nobis injuriam insignem fieri putamus, & aliis plerisque nationibus exteris, unde fit, ut palam quales simus testari cupiamus, & si erremus, ex *Verbo Dei* doceri.

Controversiam de *Cœna Domini* non adeo difficilem, ut *Synodo* dirimi nequeat, duobus potissimum argumentis colligi.

Prius est, Quod cum tria sint quæ in hoc negotio spectentur, *Symbolum* scilicet, & res exhibita, & fructus quem inde percipimus, in tribus illis omnino inter nos conveniat. Fatemur enim omnes Panem & Vinum esse *symbola*, corpus & sanguinem rem exhibitam, fructum vero istum ex *Paulo* statuimus, ut fractio Panis & Vini sit *corporis & sanguinis Christi* communicatio, quod autem ad perceptionis modum (in quo hæremus) supernaturalem esse eum & Spiritualem omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxiè non nulli querunt, plagas illas disputationum & controversiarum infœlices nobis pertexuerunt.

Hac vero de re minus solicitos esse nos debere, vel ipsius *Lutheri* testimonium admonet, qui in Epistolis ad *Helveticas Civitates*, se de modo la-

caborare negat, dum de præsentia onstet.

Alterum argumentum est, quod nunquam istius dissensionis concordia serio quæsita est, quin *Dominus Christiano* illi conatui benedixerit, & ad optatum exitum *suo Sancto Spiritu* perduxerit, ut ex colloquio *Lutheri* & *Zwinglii*, Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet, quorum utroque inter primarios *Theologos Ecclesiasque Germanicas & Helveticas* concordia sancita est, & de *Cœnæ* negotio consensus in formulam redactus, utriusque partis subscriptione comprobatam.

Nam quod ab illa pace & *Ecclesiarum Concordia* utrinque postea discessum fuerit, importuna quorundam acerbitate mœrente (ut fertur) ipso *Luthero* & bonis omnibus factum est, quod ne denuo contingat (si conciliatio inter nos constituatur) *Principum* authoritate & *Magistratuum* officio præstari potest: cum sit eorum muneris, ejusdem contentionibus litem

tem ex lite ferentibus, obviam ire. Unde ut plurimum discordiæ faces oriuntur, ædificationis vero ad *Ecclesiam* nihil.

Cum igitur dissidii istius Conciliatio res sit (uti quidem nobis videtur) per se facilis, & omnium judicio *Ecclesiæ Christianæ* pernecessaria: hujus vero promovendæ spes nobis & expectatio magna in *Illustrissimo Principe* posita sit. Optimum illum *Principem* & de *Ecclesia* totnominibus meritum, hortabitur *Segurius noster*, ut authoritatem, à *Deo* sibi concreditam, ad componendas exitiales illas dissensiones conferat.

Quoniam autem frustra pacem querimus, nisi externos illos communis adversarii, *Pontificis Rom.* conatus & apertas in perniciem nostram insidias depellamus. Idcirco artes illas & nefarias *Antichristi* coitiones optime notas, *Illustrissimo Principi* significabit, quibus veritatis lucem, *filius ille tenebrarum* extinguere nititur.

Monebit igitur imprimis, quot-

quot per *Hispaniam* & *Italiam* in suspicionem *emendatæ Religionis* veniunt, eos omnes Cruci subditos *Antichristi Rom. Tyrannidem* & inquisitionis atrocitatem & sævitiam experiri.

In *Gallia Concilii Tridentini* promulgationem & *inquisitionis Constitutionem à Legato Pontificis* adversus *Senatus* intercessionem & *Ecclesiæ Gallicanæ* libertates ugeri.

Iesuitarum artibus *Anglorum* animos ad defectionem sæpenumero impulsos, ut nisi faces illæ sapientissimo *Reginæ* consilio extinctæ fuissent, clandestini illi coitus & nefariæ conjurationes in ipsius caput & *Regni* perniciem erupturæ viderentur.

Quod ad *Scotos*, *Serinissimi Regis* animus à *Pontificiis* sæpenumero tentatus est, quibus nisi *Principis optimi*, & à teneris annis *Christiana pietate* imbuti laudabilis indoles & sapientissima *Reginæ Angliæ* consilia obstitissent, bellum inter *Angliam* & *Scotiam*, non sine summo *Ecclesia-*

rum

rum utriusque *Regionis* discrimine, & *Pontificis Rom.* voluptate, exarsurum fuerit.

Belgarum vero profligatæ res, & ab omni exterorum auxilio imparatissimæ, prementibus *Hispanorum* copiis, & indies crescentibus impares, brevi collapsuræ videntur, certo scilicet florentissimarum *Ecclesiarum Pontificia crudelitati* subigendarum excidio.

In *Helvetia* porro *portenti illius Romani* legationibus & versutia, & turbulentissimis *Jesuitarum* concionibus, incendia belli civilis propemodum hoc biennio excitata sunt, ut scilicet *Bernates*, *emendatæ Religionis* cultores, *Sabaudiæ Ducis*, in eos ex composito irrupturi, armis obruerentur.

Suecorum autem *Ecclesiæ* restitutis in *Suecia ritibus Pontificiis*, & *Iesuitis* intima *Regni* penetralia pervadentibus in assiduo metu & dubitatione versantur, ne scilicet *Stellionum* illorum fraudibus, aliquid tandem

dem in perniciem suam statuatur. Quanquam hoc sibi de *Sapientissimo Suecorum Rege* boni omnes pollicerantur, ut brevi locustarum illarum versutias sit perspecturus & *Regni* sui finibus exacturus.

Moscovitarum vero *Religio*, quantum à *ritibus Romanis* discrepet omnibus perspectum est. At *Pontifex Romanus*, dum se pacis arbitrum inter illos & *Polonum* gerit, hoc sibi ex illarum Nationum odio compendium quærere voluit, ut *Moscovitam suæ Tyrannidi* & cultui subjiceret. Quod ab eo tandem impetratum ferunt. Hoc sane constat, hunc unicum scopum illi fuisse propositum.

Quod ad *Germaniam* ipsam spectat, in qua *Potentissimorum Principum* cura & pietate, tutissima *Ecclesiis* præbita sunt hospitia, nihil non *Pontifex* molitus est, ut tranquillitatem illam & Alcedonia conturbaret, quod sane apertius est quam ut longiori explicatione indigeat.

In

In tractu vero *Coloniensi* eas nuper adversus *Illustrissimum Electorem* Tragœdias excitavit, quarum catastrophen, nisi in caput suum depellatur, in totius *Germaniæ* perniciem exituram sperat.

Ex iis satis constat, nullam totius orbis Regionem cui *Verbum Divinum* illuceat, intentatam relinqui omnesque *illius monstri* vires & conatus ad extinguendam *Evangelii lucem* conferri. Quod ut facilius fiat, *Principum* eorum, qui superstitionem & *Idolatriam* fovent, conventum ordinarium, sive senatum per ipsorum *Legatos Romæ* nuper conflavit, in quo Præside ipso *Pontifice*, de firmanda & propaganda *Tyrannide Romana*, delendisque per orbem *Christianum Ecclesiis* seria & quotidiana disceptatione agitur.

Quæ omnia cum à nobis diutiusque cogitatione versarentur, Eundem *Illustrissimum Principem* nobis compellandum putavimus, ac per eundem *Dominum Segurium* exhortandum,

dum, ut, quod *Reip. Christianæ* ac totius *Ecclesiæ* amplificationi cedat, conjunctionem aliquam animorum & Consiliorum inter potentissimam *Angliæ Reginam* & *Serenissimum Regem Daniæ*, ac *Illustrissimos Germaniæ Principes* institui pro sua virili curet, & si res ita ferat, societatem auxiliorum, non ad inferendum quidem *Pontifici Romano* bellum, sed ad propulsandam collatis operis & communicatis consiliis injuriam; ne si separatim, ut hactenus, adversus tot inimicorum conjunctas *Pontificum* authoritate consultationes & conatus congrediamur, & sejunctis atque separatis consiliis rem administremus, adversariorum illa mole alii post alios obruamur, ac dum singuli pugnamus, vincamur tandem universi. Huic porro Societati nos ipsi nostrosque omnes libenter adjuncturi sumus, ac fortunas omnes, adeoque vitam ipsam, si opus sit, in publicam utilitatem ad propagandam *Dei* gloriam prolaturi.

Por-

Porro cum singulari quodam & immortali *Dei* beneficio, duo jam *Archiepiscopi Colonienses* ab illa *Antichristi* R*omani Tyrannide* defecerint, & vindicatam à superstitionibus R*eligionem* amplexi sint, qua re nihil ad amplificandam *Evangelii* lucem, vel ad proferendos *Ecclesiarum* fines, & ad *Imperii* statum in bonorum & piorum favorem componendum, propter eximiam E*lectoratus* dignitatem, utilius optari potuit: Temporis autem calamitate & afflictis E*cclesiæ* rebus effectum est, ut *Illustrissimus* H*ermannus*, dignitate sua & fortunis exutus, in optima causa succubuerit. *Illustrissimum* P*rincipem* idem *D. Segurius* hortabitur, ut de defendendo domino *Truchsesio Illustrissimo* P*rincipe* E*lectorali dignitate* insigni, & *religionis* vinculo sibi conjuncto; propter *Dei* nomen ab hostibus impetito, apud reliquos *Germaniæ Principes & Ordines* agat, ne hanc notam fœlicissimo sæculo suo inuri patiantur, ut

S. R.

S. R. *Imperii Electorem Pontifici Romano* è dignitate sua exturbare, & miseris modis vexare liceat, alium vero sibi addictum, pro suo arbitratu substituere.

Omnium vero animos ab eventu *Coloniensis* belli suspensos, cui si secundus ex ex piorum voto contigerit exitus, optima bonorum omnium animi expectatione erigentur. Sin & egregius ille *Princeps* destitutus, & *Augustissima Septemviratus dignitas* *Pontificis Rom.* ludibrio & libidini exposita fuerit, sane bonorum omnium animi concident, & adversariorum crescet audacia. Cæteros vero, tum *Electores*, tum aliorum *Ordinum* *Principes*, quibus nundum illuxit *veritas Evangelica*, à simili iustituto infœlicissimum exemplum absterrebit: Neque fortassis unquam tam oportuna dabitur occasio constituendæ ex eorum votis & rationibus reipub. quorum interest emendatam Religionem, quam tutissimo loco esse, ac Pontificis Autho-

thoritatem ab Imperii finibus procul arceri.

Quoniam autem novimus, quanti sit ponderis & momenti negotium illud *Coloniense*, quamvis ab istius belli finibus & crepitu, longo itineris intervallo dissiti simus, & alioqui diuturno belli *Civilis Gallici* labore & expensis pæne exhausti. Quamvis denique pacis publicæ beneficio, in otio & tranquillitate vitam cum dignitate degere possimus; tamen eidem *D. Segurio* gemmarum, peccuniarum & supplectilis aureæ vim non contemnendam credidimus, quam scilicet in *Germaniam* adportet, & tuto aliquo loco deponat, ut ex usu *Ecclesiarum*, præsertim *Coloniensium*, ac prout occasio postulabit insumatur, si modo *Illustrissimi Germaniæ Principes*, in fœderis illius consortium & consiliorum societatem convenire velint, ac eorum unusquisque pro facultatibus suis, ad causam communem, *Symbolum* suam conferat. Quod si ab illis

lis preſtetur, non modo pecuniam illam & ſupellectilem, ſed reliquas facultates & fortunas noſtras adeoque vitam ipſam, in ſalutem *Eccleſiarum* parati ſumus impendere. Quod *Illuſtriſſimo Principi Dominus Segurius* ſignificabit. Et ut earum rerum omnium, quæ hoc ſcripto continentur, rationes, matura deliberatione iniri poſſint, ab illius *Celſitudine* poſtulabit, ut conventum aliquem in *Germania* haberi, de communi *Illuſtriſſimorum Principum* conſenſu curet, & diem ab ipſis præſcribi, quo *Sereniſſima Angliæ Reginæ* & *Sereniſſimorum Regum Daniæ*, *Zueciæ*, & *Scotiæ*, *Legati*, una cum *Illuſtriſſimorum Germaniæ Principum* adeſſe poſſint, cui etiam conventui per *legatos* noſtros minime defuturí ſumus.

Porro hoc etiam *Illuſtriſſimo Principi* noſtro nomine ſignificari cupimus, non fruſtra neque temere à nobis ineunte anno ſuperiore ſuſceptum fuiſſe *Germaniæ* perluſtrandæ

institutum, ut concordiæ & conjunctionis alicujus rationes quæreremus, cum in utraque illa *Ecclesiarum* salutem & incolumitatem (quæ nobis suprema lex esse debet) verti agnoscant omnes, absque illis vero servari non posse adversus *Antichristi* molitiones nemo sanæ mentis putet. Utriusque vero negotii perficiendi spem omnem in *Illustrissimis Germaniæ Principibus* constitutam esse, sine quibus nihil confici potest. Rogare nos igitur, & per *Dei* nomen obtestari, ut *Ecclesiæ* laboranti, pro sua virili opem adferat *Illustrissimus Princeps*, & apud se cogitet, nostram *omnium* Principum causam, qui *Pontificis* jugum excussimus, cum *Ecclesiarum* causa conjunctam esse. Iis enim in pace & concordiâ constitutis, & contra vim externam munitis, omnium etiam status in tuto futurus est. Sin & sua discordia & *Pontificiorum* insidiis dilabentur, eadem etiam ruina, singulorum status & for-

tu-

tunas obteret.

Neracii XV. *Julii* 1584.

Signatum
HENRICUS.
Et infra
ALLIARIUS.
& majori sigillo munitum.

LXXII.
ORIENT. FRIS.
COMITIS
AD
LEGATUM
RESP.

Edzardus Comes & Dominus Orientalis Frisiæ.

GENEROSE & NOBILIS VIR.

TE certiorem fieri volumus, nos *Serenissimi & Potentissimi Regis Navarreni* literas una cum *Il-*

lustrissimi Wilhelmi Principis Auriaci clementi salutatione accepisse. His adjunctum erat mandatorum ab *ipsius Serenitate* exemplar, quæ & libentissimo animo, & eâ quâ par est observantia perlegimus. Ex quibus innotuit ipsius *Serenitatis* in nos optima voluntas atque propensissimus animus, & singularis diligentia, in conservanda & propaganda *Ecclesia Christi*: cum *ipsius Serenitatis* laboribus & magnis periculis *Potentissimum Galliæ Regnum*, quod non est minimum *Christianæ Ecclesiæ* membrum, pacem & tranquillitatem consecutum fuerit; Percepimus deinde *Serenitatem ipsius Regiam* maximè exoptare, ut dissensiones & hæreses, quæ jam sunt in *Ecclesia*, suffocentur & opprimantur, & his oppressis, ut sit unanimis & perpetua concordia inter fideles: qua ratione possumus tandem cum summa tranquillitate charitatem colere.

Quæ omnia summo cum gaudio

&

& animi voluptate accepimus, & ſperamus quidem *Illuſtriſſimos S. R. Imperii Electores*, *Principes* & reliquos *Ordines*, in re tam laudabili & neceſſaria, non fore deſides, quod & nos pro virili facturos eſſe promittimus, offerimuſque nos & noſtra omnia ad propagandam *Dei* gloriam: Et ſi opus tam Divinum perfici debeat, ab *Illuſtriſſimis Germaniæ Principibus*, cum ſumus unum *S. R. Imperii* membrum, nihil defuturum eſt in nobis, quo minus iſtud opus ad optatum finem perducatur. Quandoquidem nobis nihil priu sneque optabilius eſt, quam unanimis conſenſus, & unio *Eccleſiæ Chriſtianæ*.

Cæterum te rogamus ut noſtro nomine ſalutes *Serenitatem R. ipſius*, eique offeras noſtra officia & obſequia omnia. Denique cum omnia fidei tuæ committamus, & ſperemus, te pro tua prudentia omnia *ipſius Serenitati* fideliter relaturum eſſe, nos propterea excuſabis, quod

ad *ipsius* Reg. *Serenitatem* non scripserimus. Tibi autem omnia nostra officia offerimus si quæ grata fuerint: Vale atque etiam vale.

Datum in nostra Urbe Embda. XII. *April.* Anno 1584.

EDZARDUS.

LXXIII.
WILHELMI
BRUNSVICENSIUM
ET
LUNEBURGENSIUM
DUCIS
AD
HENRICUM
NAV. REG.
RESPONSORIA.

Serenissime & Potentissime Rex Domine & Consanguinee carissime.

Literas *Serenitatis tuæ*, plenas singularis erga nos benevolentiæ

tiæ ac amoris accepimus, ac ſimul à Vice tenente & Conſiliariis noſtris, quæ Generoſus & Nobilis *D. Segurius Pardilianus Aulæ & intimi Serenitatis tuæ conſilii Præfectus*, nomine *Serenitatis tuæ* expoſuit, cum ob adverſam valetudinem, nos eum audire non poſſemus, audivimus. Utrumque certe nobis fuit gratiſſimum, ac nos pro hac declaratione benevolentiæ ac amoris, non ſolum *Serenitati tuæ* gratiám habemus, verum etiam omnia noſtra ſtudia & officia viciſſim deferimus, ac ſi iniquitates tuum adventum non invidiſſent, *Serenitatique tuæ* illud non tam pium, quam neceſſarium iter in *Germaniam* ad *Principes Auguſtanæ Confeſſioni* addictos perficere licuiſſet, nos *Serenitatem tuam*, tam auguſtum & gratum nobis in noſtra Provincia hoſpitem, pro tenuitate noſtræ conditionis, ſingulari ſtudio & officio amplexi fuiſſemus, imprimis vero *Serenitatis tuæ* animum erga *Eccleſiam Chriſti* inteſtinis diſſi-

diis misere distractam, & laudamus & admiramur, cum non solum *tua Serenitas* cupiat in *Ecclesiis* sui *Regni*, quæ extremo cum periculo vix tandem *Pontificia Romana Tyrannidi* exemptæ sunt puritatem doctrinæ fovere; sed etiam nos & alios *Principes Germaniæ*, qui *Reformatam Religionem* amplectuntur, ad pium & unanimem consensum & concordiam in tot dissensionibus *Ecclesiarum* summopere hortetur, atque ad id omnes ingenii dotes & *Regni* sui opes & facultates, non tam liberaliter quam pie offerat.

Etsi autem singulari *Dei* beneficio in hujus nostri *Ducatus Ecclesiis*, *pura* Religione secundum normam & præscriptum Verbi Dei fruimur, atque nullas dissensiones experimur: tamen cum palam sit, quantopere *Diabolus* nobis & aliis insidietur, ut semina dissensionum in *Ecclesia* spargat, ex quibus postea incendia magnorum motuum exoriri possent, atque nostra res agatur paries cum

proxi-

proximus ardet: nos certe tam gravibus dissensionibus vicinarum & aliarum *Ecclesiarum* multum commovemur, atque vere & ex animo optamus ut remedia commoda inveniri possent, quibus miseræ illæ *Ecclesiæ* sanari, atque vicissim cum nostris conjunctæ communes hostes *Pontificios* destruere possint; Qui multis sæculis ut omnium temporum historiæ testantur, in id unum incubuerunt, ut potentiam suam confirmarent, nos invicem sejungerent, atque sejunctos opprimerent. Et nostris certe temporibus *opulentissima* Regna *Galliæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, & alia ob dissensiones *Ecclesiarum* in varias partes misere distracta ac dilaniata, ut *Serenitas tua* prudenter monet, atque etiam suo ipsius exemplo hisce annis experta est, id testantur. Ac præterea una cum *Serenitate tua* statuimus nullum præstantius remedium contra communes *hostes* Pontificios excogitari, aut inveniri posse, quam si sublatis dissensionibus, quæ

in *Eccleſiis* reformatis adhuc hærent, piè inter nos conveniat, ac compoſitis controverſiis *Eccleſiæ* unanimem conſenſum tueantur: Cum *Baſilio* teſte, non tam ſiniſtræ opus ſit dextra, quam *Eccleſiæ* concordia docentium, ſive hæc per generalem *Synodum*, ut *Serenitas tua* prudenter diſſerit, ſive per particularem præſtetur, modo publicæ tranquillitati & paci *Eccleſiarum*, citra veritatis diſpendium conſulatur: nec improbamus *Serenitatis tuæ* conſilium de *generali Synodo*, tantum veremur, cum in memoriam revocamus, quam triſtis exitus, quantas animorum diſputationes & confuſiones *pleraque Synodi* in *Eccleſia* pepererunt, hujuſmodi *Synodum*, ut pleraſque alias in fumos abituram, aut potius exitialem, quam ſalubrem nobis futuram. Legimus enim *Gregorium* de *Synodis* diſputantem graviter exclamaſſe, omnes *Synodos Epiſcoporum* fugiendas eſſe: Se enim nullius *Synodi* exitum utilem, aut magis fi-
nem

nem malis, quam incrementum adferentem vidisse. Et *Nasiansenus* dixit, *Synodis* istis accensas potius, quam extinctas discordias fuisse. Ut autem libere Sententiam nostram, *Serenitati tuæ*, cum hoc unice expetat, exponamus, salvo semper *Serenitatis tuæ*, & omnium piorum hac de re judicio, arbitramur facilius atque majori commoditate hanc rem agi posse, si ad pauciores illa redigatur, ita ut neque nimium (cum difficilius inter plures conveniat) neque nimium pauci (cum probabile non sit tam multos paucissimorum quorundam sententiam libenter secuturos esse) veræ pietatis & publicæ tranquillitatis amantes, & controversiarum omnium cognitione apprime instructi, utriusque partis, consensu deligantur, qui inter se de illis amice conferant, ac ex solo *Verbo Dei*, hoc est *utriusque fœderis* libris, eas placide & pie componant, aut si inter ipsos hoc fieri commode non posset, ut ex ipsorum, *Prin-*

cipum & aliorum hominum medio, utriusque partis consensu, quidam spectatæ pietatis & modestiæ, prudentes, moderati & rerum de quibus disputabitur notitia satis instructi, judices deligantur, qui singula diligenter observent, authoritatem suam interponant, subterfugientes jubeant adpositè ex Verbo Dei, quod lydius lapis in dirimendis hisce controversiis esse debet, respondere, immoderatos conhibeant, sententias colligant, ac secundum prædictam normam *Scriptorum Propheticorum & Apostolicorum* lites decidant.

Neque ut *Serenitatis tuæ* sententiæ, quam merito magnificamus, hac nostra opinione quicquam detractum velîmus, hæc proferimus, sed potius quod experientia testetur, plerasque synodos aliquid humani passas, ac raro fœlices exitus nactas esse, animoque reputamus, quam fere nulla spes sit, hoc exulceratissimo seculo, talem ritè cogi posse, ac præterea

terea tantum multitudinem hominum, inter se discrepantium, minime requiri putemus.

Verum quia *Serenitas tua* præfatum suum *legatum* ad alios *romani Imperii Electores & principes Augustanæ confessioni* addictos hanc eandem ob causam ablegavit, ut commune hoc negotium communem deliberationem requirit, nos libentissime cum illis hac de re conferemus, atque nostram sententiam ad illorum judicia accommodabimus, omnibusque viribus *Ecclesiæ* & *Reipublicæ* salutem, favente *Deo*, tuebimur: Officiose autem *tuam Serenitatem* rogamus, ut hanc qualemcunque, de tam ardua re nostram sententiam, æque intelligere, ac se & alios ad communem concordiam excitare, *Christi* & *Ecclesiæ* ipsius salutem respicere, nosque sibi commendatos habere velit; nos vicissim omnia nostra studia & officia *Serenitati tuæ* offerimus; atque illam *Deo Opt. Max.* in cujus manu cor

regis

regis est, obnixe commendamus.

Datæ Cellis Luneb. 20. *Aprilis Anno* 1584.

WILHELMUS, Dei Gratia, Dux Brunsvicensium & Luneburgensium.

LXXIV.

BREMENSIS CIVITATIS

AD

R. NAV.

EPISTOLA.

CUm *Majestate Regia* nihil dignius, quam vera pietas & *pura Religio*, nihilque laudandum magis, quam veritatis & pacis studium, promovendæque gloriæ Dei Zelus &

& industria, optandum sane erat, *Serenissime Rex, Princeps & Domine Clementissime*, omnes & singulos quos *gloriosus Deus* ad altiores in hisce terris dignitatum gradus evexit, non solum id spectare, quomodo vita Politica recte & tranquille in ipsorum *Regnis* & ditionibus constitueretur; sed etiam imprimis id sedulo cogitare & curare, ut tam ipsi, quam ipsorum subditi, *vera* pietatis *Religione* informati, & in cognitione purioris doctrinæ constanter perseverare, & sua quoque opera & studio id efficere, quo fugatis errorum tenebris, veritatis lux magis magisque illucescere, diuque desiderata pax & concordia inter dissipatas Ecclesias, *divina* adspirante gratia, tandem posset restitui.

Quem quidem Zelum, ut in paucis, ita ut decebat, in postremis hisce periculosis temporibus fervere, non sine magno mœrore & dolore animadvertimus & deploramus: sic eundem in *Regia Serenitate*

tua piissimo voto ardescere, tum ex *Serenitatis tuæ* ad nos datis literis, tum etiam ex ejusdem *Serenitatis T.* *Legati magnifici & generosi Domini Jacobi Segurii Pardeliani*, ex mandato ad nos habitis sermonibus, non absque singulari lætitia & gaudio pergrato animo cognovimus.

Ex iis siquidem nobis certissima fides facta est, *Serenitatem tuam Regiam*, inter *Reges* illos & *Principes*, quos in hoc ultimo & ad finem suum decurrenti sæculo *Deus orbi Christiano* præfecit, non modo virtutibus politicis excellere, sed, quæ summa piorum *Magistratum* laus est, agnitione & confessione *purioris Doctrinæ Evangelii* plerisque aliis prælucere, sanctoque zelo promovendæ *gloriæ Dei* accensum, omni labore & studio, ad veræ doctrinæ propagationem, & omnium *Ecclesiarum*, quæ semoto *Romani Antichristi* jugo *orthodoxam fidem*, & puriorem cum *norma Propheticorum & Apostolicorum scriptorum* con-

congruentem, *Dei* cultum amplectuntur, communem pacem atque salutem quærere; quam *Serenitatis tua* laudandam & pro *Reipublica Christiana* salute flagrantem animi curam & solicitudinem, ipsa *Legatio* Amplissima, quam hoc tempore ipso, quo *Satanam* omnia extrema moliri videmus, maximo cum sumptu in *Germaniam*, *divino* haud dubie *instinctu* misit, qua de totius *Orbis Christiani* periculis alios *Principes Reges & Resp. Evangelicæ doctrinæ* addictas, ac de pace & concordia inter *Ecclesias Evangelicas* promovenda monere, viasque & rationes quibus perniciosa illa dissidia, de quibusdam *Religionis* articulis inter *Evangelicos* exorta componi & è medio tolli posse confidit, ostendere & proponere voluit, denique etiam ipsa opum & præsidiorum suorum ad afflictum statum *Ecclesiarum* juvandum ultronea & benignissima oblatio; satis abunde testatur atque declarat.

Cum

Cum itaque R. *Serenitatis T. Legatus Dominus Zegurius* ex *Anglia* atque *Belgio* primum omnium hunc appulisset, haud gravatim eum cum comitatu suo in urbe nostra hospitio excepimus, reversumque ex *Regno Daniæ* & Aulis *Principum Germaniæ*, ubi *Legationem* suam obierat, denuo apud nos divertere & eo quo postulavit tempore, sub fide *Reipub. nostræ* commorari, tum propter causam communem omnium *Ecclesiarum*, tum ob *Serenitatis tuæ* atque *Legati* ipsius honorem & reverentiam, facile permisimus, quod autem ad summam ipsius instructionis attinet, de qua ex jussu & mandato R. *Serenitatis T.* Nobiscum egit, agnoscimus sane grate hunc honorem *Reipub. nostræ* habitum esse, ut de Legatione ad pacem, arctioremque *Ecclesiarum* *Serenitas T.* R. nobiscum quoque, per *generosum Dominum Legatum* communicare aliquid dignata fuerit; cujus actionibus lætati sumus, ita *Deum* benedixisse,

ut

ut non modo à Rege *Dania* & Regina *Anglia*, sed etiam à plerisque *Electoribus*, *Principibus* ac *Rebusp.* ad quas accessit hactenus, commodissima responsa secum attulerit; quæ cum legere nos voluisset, magna cum animi voluptate percepimus, unanimi consensu ab omnibus approbari sincerum & ardens *Serenitatis tuæ* studium in rebus *Ecclesia* protegendis, & spem plerosque *Principes* non exiguam præbere intelleximus, voluntatis excitatæ ad promovendum institutum *Synodi* Legitime convocandæ: quod unicum fere remedium humanum superesse videtur, ad dissidia domestica inter *Ecclesias Evangelicas* tollenda, quæ plurimum hactenus *propagationi veritatis* & mutuæ *Ecclesiarum conjunctioni* obstasse constat.

Quanquam vero in negotio tam arduo, & ad plures *status* pertinente, ne fieri quidem aliter potest, quin & mora aliqua temporis intercedat, & impedimenta varia incidant,

dant, quibus eventus optatus salutarium istorum consiliorum protrahatur: dubium tamen non est, suo tempore fructum instituti hujus, tandem *Dei* ope (cujus gloria & causa agitur) subsecuturum, qui cum dederit velle, procul dubio etiam dabit perficere.

Nos quidem, cum hactenus à multis annis *respublica* nostra non levia certamina propter defensionem *purioris doctrinæ Evangelii* sustinuerit, in istiusmodi controversiis *Religionis* semper ad *Synodum* generalem provocavimus, ejusque adhuc sumus animi, ut nihil magis in votis habeamus, quam ut ejusmodi medio legitimo finis contentionibus ac dissidiis Ecclesiasticis imponi aliquando, *Deo* juvante, possit.

Sed cum ea res ad summos *Imperii Ordines* pertineat, quorum ductum atque auspicium alios *status* inferiores sequi in hoc negotio tanti momenti par est. Nos interim *Deum Opt. Max.* orare

orare non cessabimus, ut quod ad *gloriam ipsius* & *Ecclesiæ* emolumentum commodare possit, fœliciter provehat, & animos *summorum Principum spiritu suo* flectat atque impellat, ut promissis ipsorum benignissimis, de *Synodo* convocanda, factis, & eventus respondeat; ad quam deliberationem si & nos requisiti fuerimus, non deerimus nostro loco & muneri, quin omnia libentissimè facturi simus, quęcunque ad retinendam veritatem *doctrinæ Cœlestis* & consensionem communem *Ecclesiarum* instaurandam fieri poterunt.

Interea & *Serenitatis T. R.* pium & laudabile institutum, de constituenda pace & conjunctione *Ecclesiarum* (quod opus pietate tua dignissimum est) grata voce prædicabimus, & successum atque eventum salutarem piissimis tuis consiliis à *Deo* præcabimur, eumque orabimus, ut vicissim *T. R. Serenitatem* largissimis benedictionibus cumulet;

Quod

Quod restat *Serenitatis T. R.* favori & benignitati *Remp.* nostram, ea qua decet observantia, reverenter & humiliter commendamus, tibique Rex *Serenissime* obsequia nostra prompto & parato animo offerimus.

Datæ Bremæ Saxoniæ Saxonum, sub sigillo Civitatis nostræ, die 14. Maji Anno salutis 1584.

Regiæ Serenitatis Tuæ addictissimi

Consules & Senatores Reipub. Bremensis.

LXXV.

RESPONSUM LUDOVICI *Landgravii Hassiæ* NOMINE DATUM.

POstquam *Serenissimi Potentissimique Principis ac Domini Domini Henrici Regis Navarræ &c.* Literæ &

& formulæ mandati *ad Illustrissimum Principem ac Dominum* Dominum *Ludovicum Landgravium Hassiæ* &c. superiori anno scriptæ, per nobilem ac *magnificum Dominum Segurium Pardelianum Legatum Regium*, memorato *Landgravio Principi* nostro clementissimo, nuper transmitterentur, *Illustriss. Celsitudo sua* Regiæ *Serenitatis* benevolentiam erga se singularem, imprimis vero solicitudinem & studium, in componendis *Ecclesiarum* distractionibus & *Orbis Christiani* pace conservanda, non sine magna animi lætitia ex iis intellexit, eique percommodum accidit, quod ad *suam Celsitudinem*, dictus *Legatus*, post aliorum sibi commissorum negotiorum explicationem, iter suum instituit, cujus adventus *Illustriss.* præfato *Landgravio* gratissimus fuit; quod ipsius dexteritatem & industriam singularem, in obeunda hac tam præclara *Legatione* videre contigerit, & hac oblata occasione, ad trans-

transmissa *Legationis* capita mandatique formulam coram illi respondere possit.

Idque tanto brevius faciet, quoniam animadvertit, *Dominum Legatum* eandem causam, cum aliis etiam R*egibus*, *Electoribus*, aliisque *Principibus* Evangelicis tractasse, & ab iis hujusmodi responsa tulisse, ut illis à se fere nihil amplius addi possit aut debeat, ideoque petit imprimis à *Domino Legato*, ut S*ereniß*. R*egi Navarreno*, pro amore & benevolentia qua ille se eum complecti scriptis literis testatus est, etiam atque etiam gratias agat, & obsequium atque studium suum vicissim deferat; quæ si usque R*egi* S*erenissimo* probare poterit, dabit operam ne officio defuisse videri queat.

Et quamvis alias de sanandis R*eipub*. *Christianæ* morbis diu multumque cogitet, attamen dum hanc etiam ob causam L*egationis* capita diligentius expendit, nihil magis optat, quam ut is horum tempo-

rum

rum status foret, quo vulneribus *Ecclesiarum* & *reipub. Christianæ* ea remedia possint adhiberi, quæ *Regi navarræ Serenissimo* & aliis piis & veritatis atque pacis amantibus *principibus* probari videt; qua in re si cum *germaniæ Electoribus* aliisque *principibus augustanam confessionem* amplexis quicquam conferre, & istud tam pium ac necessarium negotium juvare potest, faciet hoc sedulo, cum hoc & ad gloriam *divini nominis* & *Christiani principis* officium vel maxime pertineat.

Si vero vel ob temporum injuriam vel alias machinationes, quibus *Ecclesia Dei* semper exposita fuit, distractiones *Ecclesiarum* tam maturè tolli nequeant, ut illud multorum salus postulat, singulos nihilominus in eam cogitationem incumbere oportet, ut in certaminibus exortis, *Verbo Dei* revelato acquiescant, eumque votis ardentibus & indesinentibus implorent, ut semina distractionum tollat, & *Ecclesias* in veritate verbi sui conservet.

 Quod

Quod si serio faceremus, dubitandum non est, quin is quod petimus daturus, & ad eam rem remedia non tantum ostensurus, sed etiam salutarem exitum largiturus sit.

Quæ præfatus *Landgravius Dominus noster clementissimus* eo non vult accipi, quod ejus rei commemoratio sit apud *Serenissimum Regem* necessaria, sed quod in spem veniat *Serenissimum Regem*, omnia in meliorem partem & eo animo intellecturum esse, quo hæc à se proficiscuntur. Atque hæc *Serenissimo Regi*, per ejus *Legatum*, referri *Dominus Landgravius* petit, eumque benevolentia sua complectitur.

Signatum *Marpurgi* XXVIII. *Junii* Anno *Christi* 1584.

LUDOVICUS *Dei gratia Landgravius Hassiæ, Comes in Catzenellebogen, Dietz, Ziegenhaim & Midda, &c.*

LXXVI.

LXXVI.

OSTFRISIÆ COMITIS EDSARDI

Ad Legatum Reſponſio.

Edzardus Comes & Dominus Oſtfriſiæ.

SAlutem & favorem noſtram, *Nobilis, dilecte, ſingularis.* Hodie literas veſtras accepimus & perlegimus, in quibus ſignificatis nobis, quod *Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus Dominus Henricus Rex Navarrenus &c. Dominus noſter Clementiſſ.* perſonam veſtram ad ſe revocavit, deinde etiam poſtulatis à nobis, ut ſal-

vum conductum & securitatem vobis præstemus, quandoquidem per ditionem nostram transire velitis.

Etsi autem ad probandum *Regiæ Serenitati*, & ad gratificandum vestræ personæ, non recusaremus, obsequia nostra præstare, tum *Regiæ Serenitati*, tum vobis, in negotiis legitimis quæ sine reprehensione fieri à nobis possent. Tamen in memoriam vobis revocare potestis, quod in literis vestris, ad nos 7. *Aprilis* datis, quarum haud dubie exemplar vobiscum adhuc retinetis, diserte hoc à vobis scriptum ad nos fuerit, *Romanam Cæsaream majestatem*, *Dominum nostrum Clementissimum*, *Duci Bavariæ* & aliis mandata severa dedisse, de comprehensione & arresto personæ vestræ, de quo postea etiam ab aliis quibus fidem habemus ad nos scriptum est, & quod propter hanc causam & periculum istud vobis imminens, non auderetis eo tempore in *Comitatum* & *ditionum* nostram venire, ad coram nobis explicandas literas & instructionem prædictæ *Serenitatis Regiæ*. Jam

Iam vero hoc facile cogitare poteſtis, in quantam ſuſpicionem inobedientiæ ac accuſationem incidere poſſemus apud *Rom. Cæſ. M. Dominum noſtrum clementiſſimum*, cui ad ſubjectiſſime parendum & obtemperandum obligati ſumus, ſi nos, ut pote *ſtatus & membrum Imperii*, conſentiremus in veſtram poſtulationem, *Cæſarea Majeſtate* non conſcia prius & permittente.

Præterea etiam quantum præjudicium nobis creari poſſet, apud *Regiam M.* ſi ut nunc ſunt tempora ſalvus noſter conductus à milite externo non attenderetur, & adverſum vos neglecto illo violentius aliquid tentaretur.

Id enim calumniis noſtrorum malevolorum in eam partem rapi poſſet, quaſi noſtra aliqua culpa vobis damnum illatum eſſet, veluti nobis occultè conſpirantibus in molitiones eorum à quibus damnum acciperetis; ſicut hactenus non ſemel factum eſt, in hoc triſti bello, ut noſtri *S. Romani Im-*

perii obedientes & innocentes subditi, parum opis & præsidii ex nostro salvo conductu habere potuerunt.

Cum igitur periculum & præjudicium tantum nobis, & simul etiam vobis, metuendum sit, plane confidimus, vos, quod e re vestra sit, cogitaturos, & in bonam partem accepturos, quod totum hoc vestro præjudicio permittere cogimur, Id benigne & pro ratione rerum presentium, responsionis loco celare vos noluimus, vos in gratiam Dei commendantes.

Datum in *Petressen* ubi tunc cum aula commorabamur 14. *Aug.* Anno 1584.

LXXVII.

LXXVII.

JOHANNIS OSTFRISIÆ, COMITIS *AD* LEG. EPISTOLA.

Johannes Comes & Dominus Ostfrisiæ.

SAlutem cum favore nostro conjunctam, *nobilis, singularis, dilecte Domine*, literæ vestræ sub dato *Bremæ* 11. hujus in manus nostras traditæ sunt, nec volumus vos benigne celare quod non solum transitum liberum vo-

vobis concedere propensi simus, sed libenter etiam vos juvare velimus, ad iter per hanc nostram ditionem conficiendum, *Convoy*, salvo conducto & aliis adminiculis vobis præstitis, quod si &c. & vobis *Legato majestatis illius* plus officii & studii exhibere possemus, ad id quoque prompti ac parati inveniremur, & erga vos quidem benigne affecti sumus.

Datum Stichausen 18. *Aug.* 1584.

JOHANNES Comes & Dominus Osttrisiæ manu propria subscripsit.

LXXVIII.

EPISTOLA

ELISABETHÆ

ANGLIÆ REGINÆ.

AD

LUDOVIC.

ELECT. PAL.

Elisabetha Dei *gratia Angliæ Franciæ & Hiberniæ* Re*gina fidei desensatrix &c Illustrissimo*

ſimo principi ac Domino Ludovico Com:ti Palatino Rheni, ſacri Roman. Imperii Archidapifero, Principi, Electori, D*ucique Bavariæ, amico & conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem.*

Illuſtriſſime Princeps & Conſanguinee Chariſſime.

CUm *illuſtrem virum* eum qui has reddidit D. *Segur de* P*ardilan, ſereniſſimus Navarræ Rex*, *frater noſter chariſſimus*, ad nos nuper miſerit, ut de rebus ad ſtatuum noſtrorum, eorumque omnium qui *religionem* veram profitentur, quietem & tranquillitatem pertinentibus nobiſcum ageret, cujus *legationem* lubenti animo accepimus, gratum enim nobis fuit intelligere *Regem* nobis amiciſſimum in eas curas incumbere, quæ & *Principi vere Chriſtiano* ſunt dignæ, & ad *Eccleſiarum* tutelam ac *Evangelii* propagationem maxime ſunt neceſſariæ;

Quibus de rebus cum idem *Serenissimus Rex ad Imperii principes & Electores vestramque* & imprimis *excellentiam* eundem hunc *legatum* mittat, hortamur ut libere loquentem non gravate audias, & intimo sensu de toto negotio cogites, confidimus enim ea dicturum, quæ *Excellentiæ vestræ* summe probabuntur, & *publicæ religionis* causæ maxime erunt oportuna; sed erunt omnia faciliora, si illam de *cœna Domini* infœliciter excitatam quæstionem, in ditionibus vestris agitare prohibeas; hac enim sopita controversia, nihil jam erit quo *Ecclesiarum concordia* convelli possit; Bene & fœliciter valeas.

Datum Otelandiæ, die mensis Octob. VI. A. Dom. 1583. regni vero nostri 25.

Vestra Bona consanguinea.

E L I S A B E T H A.

Idem literarum & exemplar missum fuit ad regem Daniæ, Electores Zaxonem & Brandeburgicum, Duces Brunsvicensem & Wirtembergensem, & ad Landgravium Hassiæ.

LXXIX.

L X X I X.

Mandata à Serenissimo rege navarreno D. Segurio tradita ex quorum formula cum generosis comitibus & amplissimis sacri Romani Imperii civitatibus, quæ religionem reformatam profitentur ipsius nomine acturus est.

DOminus Segurius Pardelianus Illustrissimos principes ac dominos sacri R. Imperii Electores, cæterosque omnes *Principes* atque *Ordines*, *Civitates*, nostris verbis officiosissime salutabit, benevolentiam erga ipsos nostram, eximium amorem & observantiam testabitur, desideriumque illud exponet, quo sub initium superioris anni tenebamur, peragrandæ scilicet *Germaniæ*, & cum illis amicitiæ firmandæ, quos de *Repub. Chri*-

stiana optime meritos esse noveramus.

Cui profectioni cum exorientes subinde turbarum suspiciones adversarentur, & justas commorandi causas innecterent, se à nobis ablegatum significabit fuisse, ut quæ superius dicta sunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum *Ecclesiæ* statum *Christianæ*, ipsorum oculis subjiceret, præsertim vero de quærendis dissensionum nostrarum remediis, & constituendo *Ecclesiarum* unanimi consensu consilia communicaret.

Exponet igitur imprimis quantopere necessaria sit inter *Principes* & reliquos *Ordines*, eidem *Religionis* cultui deditos, concordia, & quantum ex intestinis nostris de doctrina dissidiis periculi contrahatur *Ecclesiis*, unde & ipsis in medio fere cursu mora injecta, & imprimis ad veritatem properantibus impingendi occasio præbita sit: hujus mali fontem atque adeo authores à nobis non inquiri, quod sine nostro dolore, & eorum pudore fieri nequeat: cum satis superque

con-

constet perspecta morbi natura, probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod & reperire utilius sit, & vero facilius, quam de procellarum istarum authoribus convenire.

Cuilibet Christianæ fidei rudimentis imbuto notum esse, nostrum in præcipuis doctrinæ capitibus consensum, præsertim in gratuita peccatorum remissione per *Christi* sanguinem *Æterni Dei filii* & *unius generis humani Mediatoris*, omnibus in ipsum credentibus parta; unde fit ut iisdem rationum & argumentorum telis *Antichristi Romani* præstigias & errores oppugnemus; in ipsoque adeo *cœna* negotio, de quo præcipua disputatio est, de *Sacramenti* substantia conveniamus, cum nemo sit qui se verum *corpus Christi* in *Eucharistia* assumere diffiteatur; cum itaque nulla supersit controversia, nisi in ipso percipiendi modo, intolerandum esse, ut in eo quærendo nullum plane modum adhi-

beamus, omnem *contra* excedamus.

Pontificios longe majus prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidisse, qui ante bellum ipsis indictum à summo illo sanctæ memoriæ *Luthero*, capitalibus inter se ob eundem illum articulum odiis flagrabant, adeo ut *Scholastici* interpretes in duodecim ferme discrepantes distraherentur sententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, ut nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in *Lombardi*, *Thomæ*, *Scoti*, *Durandi*, *Pici*, *Bielii*, *Bonaventuræ* & aliorum monumentis videre est, qui cum se mutuis ictibus antea jugularent, artibus tandem & *Pontificum* authoritate, majori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compressa sunt ejusmodi dissidia: quod ut à nobis vel hostium exemplo, in controversia longe minus acerba, fieret, tanto præsertim iminente ex dissensionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad

Ad hujus morbi curationem *Ecclesiam* illam priscam nobis facem prætulisse, cum in similibus controversiis, ut secessionibus & scismatis precideret occasionem, nihil prius haberet neque antiquius, *Synodorum* indictione, quæ infinitis prope vulneribus remedium attulerunt.

Majorum igitur more ab *Illustrissimis Germaniæ Principibus* & *Ordinibus* postulare nos, & per omnia sacra obtestari, ut apud se pro sua prudentia & propensissimo in *Dei* gloriam studio expendant, an *Ecclesiis* & *Reipublicæ Christianæ* expediat, ad dijudicandas controversias nostras universalem *instauratarum totius Europæ Ecclesiarum Synodum* haberi, ea sub lege, ut ad conventum illum de controversis inter nos capitibus referatur, & possint accurata disceptatione, expensis omnium sententiis, dissensiones dirimi.

Quod si hujus concilii indictionem è re *Christiana*, uti existimannus, esse putent, ab iisdem *Illu-*

strissimis

strissimis Principibus flagitare nos & omni contentione petere, ut quam primum illud convocari curent, & inter se & cum reliquis *Imperii Romani Ordinibus* hac de re diligenter agant.

Quoniam autem hujus morbi medicinæ, moram attulerunt procellæ illæ, quibus jactantur *Ecclesiæ* multis *Europæ* locis, partim bellis petitæ, partim crucem expertæ; unde fit ut laborantibus illis tetrum hoc vulnus, eorum importuna contentione & ambitiosis disputationibus, subinde recrudescat, quorum muneris erat ulcus ipsum adhibitis acopis mitigare; Eo denique acerbitatis provecta sint partium studia, ut se præjudicatis sententiis mutuo damnaverint, & ab *Ecclesiæ communione*, suo quidem judicio, exturbarint. Quod sæviendi genus ejusmodi videtur ut presentiori remedio egeat, neque sit ipsius in futuram *Synodum* differenda occasio curandi discriminis, quod & *Verbum*

Dei Ludibrio, & ipsius *Ecclesiam* direptioni exposuit.

Illustrissimos Principes & Ordines rogabit idem *D. Segurius*, ut tantisper dum paratur *generalis Synodus*, curationem istam sibi prævertendam suscipiant, quæ duplici ratione commodissime absolvi possit. Altera quidem si omnium utriusque professionis *Ecclesiarum* controversiæ ad *Synodum* dijudicandæ referantur, neque cuiquam privatim in aliorum fraudem & præjudicium quicquam interea statuere liceat; altera vero si acerbis illis contentionibus, quibus hactenus & verbis inter se rixati sunt Theologi & scriptis, silentio tandem finis imponatur, & ejusmodi disputationibus explosis *Christiana charitas* & animorum fraterna conjunctio colatur; quod quidem *Sereniss. Rex Navarræ* ab *Ecclesiis Gallicis* (à quibus hac de re rogatus est) tam suo quam ipsorum nomine bona fide prestitum iri spondet.

Quod

Quod autem ad *Synodum* ipsam attinet, hæc etiam *Illustrissimis Principibus Segurius* noster significabit, nos cum de ista *Legatione* mittenda cogitavimus ad Ecclesiarum Dei pacem & tranquillitatem necessaria, mentis oculos statim in optimos illos *Principes* defixisse, quorum scilicet prudentia freti & summa illa qua pollent apud reliquos *Imperii Ordines* gratia & authoritate, sed præsertim singulari pietate & ingenii dexteritate, concordiam illam quam inter *Ecclesias* quærimus omnibus vestigiis indagari & tandem obtineri posse censuimus.

Hoc enim videri *Germaniæ* ipsius fatum aut potius summo *Dei* beneficio ornamentum, ut quemadmodum ex ea primi illi *Ecclesiarum* vindices & ipsarum libertatis adversus *tyrannidem Pontificiam* assertores extiterunt: ita etiam ab eadem *monstrum illud funestum dissensionis* jugulari debeat, & concordia inter *Ecclesias* sanciri, sine qua in acerbissi-

mam

mam servitutem relapsuræ videntur.

Nulla vero ratione infœlicissimum illud de *Cœna Domini* dissidium melius & fœlicius sanari posse, quam si vetusto & jam ab *Apostolicis* temporibus repetito more *Synodus* habeatur. Quod quoniam *Illustriss. Germaniæ Principum* ductu & auspicio potissimum confici potest, orare nos iterum, ut tam salutari operi manum admoveant, & oblatam de *Ecclesia* bene merendi occasionem arripiant, neve hoc decus *Illustrissimorum Germaniæ Principum* pietati debitum sibi de manibus eripi patiantur. Non esse nos ea pervicacia aut in tuendis nostris opinionibus tenacitate, ut si concilium ineatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus. Imo paratos esse omnium animos ad concordiam ineundam; & ea dogmata suscipienda quæ *verbo Dei* consentanea futura sunt.

Quod nos alii *Zwinglianos*, alii *Calvinistas*, *Sacramentarios* plerique

que

que vocent, perperam id quidem fiero & nullo nostro merito, cum in *Christi* solius verba juraverimus, nullius sententiæ addicti, nisi quatenus cum veteris & novi fœderis doctrina congruat, quod si ab illius mortalis nomine adoptanda nobis esset appellatio, nos potius *Lutheranos* vocatum iri, cujus sane nominis invidia & odio cum laborarent Galli, infiniti prope per sexaginta annos læsi, exusti, equuleis admoti, & omni genere crudelitatis extorti, præclarum *Christianæ Doctrinæ*, quam à *Luthero* primum acceperant, testimonium ediderunt & sanguine suo, per *Dei gratiam*, obsignarunt, ut vere à nobis asseri possit, plures propemodum Martyres quos *Lutheranos* vocabant *Galliam* edidisse, quam reliquas omnes totius *Europæ* regiones.

Lutherum ab *Ecclesiis Gallicis* ut ipsarum in *Christo* patrem agnosci, quod illius ministerio veritas primum è latebris eruta sit, ejus vero doctri-

nam

nam & eruditionem adeo à nostris a-mari & suspici, ut unum illum ab A-postolorum sæculo repetita memoria fuisse existiment, qui scriptis suis & laboribus plurimum *Ecclesiæ* contulerit. Qui nostro seculo florent & *Helveticam* sive *Gallicam* confessionem tuentur, acerbius quidem & odiosius infœlicissimam de *cœna Domini* disputationem attigisse, sed ex aliis plerosque hac etiam culpa non carere. Verum non decere nos propter unius aut alterius acerbitatem, perpetuis internis odiis & dissensionibus flagrare, & *Ecclesias integras* privatorum odio prægavari.

Plerisque in *germania*, præsertim è vulgo, ita de *gallicarum Eccclesiarum* doctrina persuasum esse, quasi erronea sit, & qualibet hæresi, vel etiam *Pontificia*, longe deterior, qua in re nobis injuriam insignem fieri putamus, & aliis plerisque nationibus exteris, unde fit ut plane quales simus testari cupiamus, & si erremus ex *verbo Dei* doceri.

Con-

Controversiam de *Cœna Domini* non adeo difficilem ut *Synodo* dirimi nequeat, duobus potissimum argumentis colligi, prius est, quod cum tria sint quæ in hoc negotio spectentur, *symbolum* scil. & res exhibita, & fructus quem inde percipimus, in tribus illis inter nos omnino conveniat: Fatemur enim omnes panem & vinum esse symbola, *corpus & sanguinem Domini* rem exhibitam, fructum vero ipsum cum P*aulo* statuimus ut fractio panis & vini, sit *corporis & sanguinis Christi* participatio.

Quod autem ad perceptionis modum, in quo hæremus, supernaturalem eum esse & spiritualem omnes etiam fatentur, sed cum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie non nulli quærunt, plagas illas disputationum & controversiarum infœlices nobis pertexuerunt. Hac vero de re minus solicitos esse nos debere; vel ipsius *Lutheri* testimonium admonet, qui in epistola ad *Hel-*

veticas Civitates, se de modo laborare negat, cum de præsentia constet:

Alterum argumentum est, quod nunquam istius dissensionis concordia serio quæsita est, quin *Dominus Christiano* illi conatui benedixerit, & ad optatum exitum suo S. *Spiritu* perduxerit, ut ex colloquio *Zwinglii* & *Lutheri* Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet, quorum utroque inter primarios *Theologos Ecclesiasque germanicas & helveticas* concordia sancita est, & decœnæ negotio consensus in formulam redactus, utriusque partis subscriptione comprobatam.

Nam quod ab illa pace & *Ecclesiarum* concordia utrinque postea discessum fuerit, importuna quorundam acerbitate mœrente (ut fertur) *Lutero* & bonis factum est; quod ne denuo contingat (si conciliatio inter nos instituatur) *Principum* authoritate & *Magistratuum* officio præstari debet, cum sit eorum muneris ejusmodi contentionibus, litem ex lite

se-

ferentibus, obviam ire, unde ut plurimum discordiæ faces oriuntur, ædificationis vero ad *Ecclesiam* nihil.

Cum igitur dissidii istius conciliatio res sit (ut nobis quidem videtur) & per se facilis, & omnium judicio *Ecclesiæ Christianæ* pernecessaria; hujus vero conficiendæ spes omnis & expectatio in *Illustrissimis Germaniæ Principibus* reposita, optimos igitur illos *Principes* & de *Ecclesia* tot nominibus bene meritos hortabitur *Segurius noster*, ut authoritatem sibi à *Deo* concreditam ad componendas exitiales illas dissensiones conferant.

Quoniam autem frustra pacem domi quærimus, nisi externos illos communis adversarii *Pontificis Romani* conatus, & apertas in perniciem nostram insidias depellamus. Idcirco artes illas & nefarias *Antichristi* coitiones *Illustrissimis Germaniæ Principibus* optime notas, significabit, quibus veritatis lucem *filius ille tenebrarum* extinguere nititur.

Mo-

Monebit igitur imprimis, quotquot per *Hispaniam* & *Italiam* in suspicionem *emendatæ Religionis* veniunt, eos omnes Cruci subditos *Antichristi Rom. Tyrannidem* & inquisitionis atrocitatem & sævitiam experiri.

In *Gallia Concilii Tridentini* promulgationem & *inquisitionis Constitutionem à Legato Pontificis* adversus *Senatus* intercessionem & *Ecclesiæ Gallicanæ* libertates ugeri.

Iesuitarum artibus *Anglorum* animos ad defectionem sæpenumero impulsos, ut nisi faces illæ sapientissimo *Reginæ* consilio extinctæ fuissent, clandestini illi coitus & nefariæ conjurationes in ipsius caput & *Regni* perniciem erupturæ viderentur.

Quod ad *Scotos*, *Serinissimi Regis* animus *à Pontificiis* sæpenumero tentatus est, quibus nisi *Principis optimi*, & à teneris annis *Christiana pietate* imbuti laudabilis indoles & sapientissima *Re-*

girca Angliæ consilia obstitissent, bellum inter *Angliam* & *Scotiam*, non sine summo *Ecclesiarum* utriusque regionis discrimine & *Pontificiæ Rom.* voluptate exarsurum fuerit.

Belgarum vero profligatæ res, & ab omni exterorum auxilio imparatissimæ, prementibus *Hispanorum* copiis & in dies crescentibus impares, brevi collapsuræ videntur, certo florentissimarum *Ecclesiarum Pontificiæ crudelitati* subigendarum excidio.

In *Helvetia* vero *portenti illius Romani* largitionibus & versutia, & turbulentissimis *Jesuitarum* concionibus, incendia belli civilis propemodum hoc biennio excitata sunt, ut scilicet *Bernates emendatæ Religionis cultores Sabaudiæ Ducis* in eos ex composito irrupturi, armis obruerentur.

Suecorum autem *Ecclesia*, restitutis in *Suecia* ritibus *Pontificiis*, & *Jesuitis* intima *Regni* penetralia pervadentibus in assiduo metu & dubitatione

tatione versantur, ne scilicet stellionum illorum fraudibus aliquid tandem in perniciem suam statuatur; quanquam hoc sibi de *Sapientissimo Suecorum Rege* boni omnes pollicentur, ut brevi locustarum illarum versutias sit perspecturus & *Regni* sui finibus exacturus.

Moscovitarum vero *Religio* quantum à ritibus *Romanis* discrepat, omnibus perspectum est, ut *Pontifex Rom.* dum se pacis arbitrum inter illos & *Polonum* gerit, hoc sibi ex illorum nationum odio compendium querere voluit; ut *Muscovitam suæ Tyrannidi* & cultui subjiceret, quod ab eo impetratum ferunt. Hoc sane constat hunc unicum scopum illi fuisse propositum.

Quod ad *Germaniam* ipsam spectat; in qua *Potentissimorum Principum* cura & pietate tutissima *Ecclesiis* hospitia præbita sunt, nihil non *Pontifex* molitus est, ut tranquillitatem illam & *Alcedonia* conturbaret, quod sane apertius est quam ut

longiori explicatione indigeat. In tractu vero *Colonienſi*, eas nuper adverſus *Illuſtriſſimum Electorem* tragedias excitavit, quarum *Cataſtrophen*, niſi in caput ſuum depellatur, in totius *Germaniæ* perniciem exituram ſperet.

Ex iis ſane conſtat, nullam totius orbis *Regionem*, cui verbum divinum illuceat, intentatam relinqui, omneſque *illius monſtri* vires & conatus, ad extinguendam *Evangelii* lucem conferri. Quod ut facilius fiat *Principum* eorum qui ſuperſtitionem & idolatriam fovent conventum ordinarium, ſive *Senatum* per ipſorum *Legatos Romæ* nuper conflavit, in quo, præſide ipſo *Pontifice*, de firmanda & propaganda *Tyrannide Romana*, delendiſque per *Orbem Chriſtianum Eccleſiis*, ſeria & quotidiana diſceptatione agitur.

Quæ omnia cum à nobis diuturna cogitatione verſarentur, *Illuſtriſſimos Germaniæ Principes* nobis compellandos putavimus, ac per eundem.

dem *D. Sigurium* exhortandos, ut (quod *Reipub. Christianæ* ac totius *Ecclesiæ* amplificationi cedat) conjunctionem aliquam animorum & consiliorum inter *Potentissimam Angliæ Reginam & Serenissimos Reges Daniæ, Scotiæ & Sueciæ, ac Illustrissimos Germaniæ Principes & Ordines* constitui curent, & (si res ita ferat) societatem auxiliorum, non ad inferendum quidem *Pontifici Romano* bellum, sed ad propulsandam, collatis operis & communicatis consiliis, injuriam, ne si separatim, ut hactenus, adversus tot inimicorum junctas *Pontificum* authoritate consultationes & conatus congrediamur, & sejunctis atque separatis consiliis rem administremus, adversariorum illa mole alii post alios obruamur, & dum singuli pugnamus vincamur tandem universi.

Huic porro societati nos ipsos nostrosque omnes vitamque adeo ipsam si opus sit in publicam utilitatem, ad propagandam *Dei gloriam* profusuri.

Porro cum singulari quodam & immortalis *Dei* beneficio, duo jam *Archiepiscopi Colonienses* ab illa *Antichristi Romani Tyrannide* defecerint, & *vindicatam à superstitionibus religionem* amplexi sint. Qua re nihil ad amplificandam *Evangelii* Lucem, vel ad proferendos *Ecclesiarum* fines, & ad *Imperii statum* in bonorum & piorum favorem componendum propter eximiam *Electoratus* dignitatem utilius optari potuit. Temporis autem Calamitate & afflictis *Ecclesiæ* rebus effectum est, ut *Illustrissimus Hermannus*, dignitate sua & fortunis exutus in optima causa succubuerit, *Illustrissimos Germaniæ* Principes *D.* Segurius hortabitur, ut de defendendo *Illustrissimo* Principe *D. Truchsesse*, *Electorali* dignitati insigni, & *Religionis* vinculo sibi conjuncto, propter *Dei* nomen ab hostibus impetito, satagant, ne scil. hanc notam fœlicissimo suo seculo inuri patiantur, & *Sacri Rom. Imperii Electorem*

Pon-

Pontifici Romano è dignitate sua exturbare, & miseris modis vexare liceat, alium vero sibi addictum pro suo arbitratu substituere.

Omnium porro animos ab eventu *Coloniensis* belli suspensos cui si exitus ex piorum voto contigerit secundus, optima bonorum omnium animi expectatione erigentur, si vero & egregius ille *Princeps* destitutus & *Augustissima Septemviratus dignitas Pontificis Romani* ludibrio & libidini exposita fuerit, sane bonorum omnium animi concident, & adversariorum crescet audacia, cæteros vero tum *Electores*, tum inferiorum *Ordinum Principes* quibus nondum illuxit veritas *Evangelica*, à simili instituto infelicissimum exemplum absterrebit, neque fortassis unquam tam oportuna dabitur occasio constituendæ ex eorum votis & rationibus *Reip.* quorum intersit *emendatam Religionem* quam tutissimo loco esse, ac *Pontificis* artes & authoritatem ab *Imperii* finibus procul arceri.

Quoniam autem novimus quanti sit ponderis & momenti negotium illud *Coloniense*, quamvis ab istius belli finibus & crepitu longo itineris intervallo dissiti sumus, & alioquin diuturno belli civilis *Gallici* labore & expensis pene exhausti. Quamvis denique pacis publicæ beneficio in otio & tranquillitate cum dignitate vitam degere possimus, tamen eidem *D. Segurio*, gemmarum, pecuniarum & supellectilis aureæ vim aliquam non aspernandam credidimus, quam scil. in *Germaniam* asportet, & aliquo tuto loco deponat, ut ex usu *Ecclesiarum* præsertim *Coloniensium*, ac pro ut occasio postulabit insumatur, si modo *Illustrissimi Germaniæ* Principes *&* *Ordines* in fœderis illius consortium & *societatem* Consiliorum convenire velint; ac eorum unusquisque pro facultatibus suis ad causam communem symbolam suam conferat.

Quod si ab illis præstetur, non modo pecuniam illam, & supelle-

ćti-

ctilem; sed reliquas omnes facultates & fortunas nostras, adeoque vitam ipsam, in *salutem Ecclesiarum* parati sumus impendere. Quod *Illustrissimis Germaniæ Principibus* *D. Segurius* significabit, & ut earum rerum omnium, quæ hoc scripto continentur rationes matura deliberatione iniri possint ab ipsis postulabit, ut Conventum aliquem in *Germania* haberi, de communi *Illustrissimorum Principum* consensu curent, & diem ab ipsis præscribi, quo *Serenissima Angliæ Regina* & *Serenissimorum Regum Daniæ, Sueciæ, & Scotiæ Legati*, una cum *Illustrissimis Germaniæ Principibus* adesse possint. Cui etiam conventui per *Legatos* nostros minime defuturi sumus.

Porro hoc etiam *Illustrissimis Principibus & Ordinibus* nostro nomine significari cupimus, non frustra neque temere à nobis ineunte superiore anno susceptum fuisse *Germaniæ* perlustrandæ institutum, ut Concordiæ & conjunctionis alicujus

rationes quereremus: cum in utras que illa Ecclesiarum salutem & incolumitatem (quæ nobis suprema lex esse debet) verti agnoscant omnes, absque illis vero servari non posse adversus Antichristi molitiones nemo sanæ mentis putet. Utriusque V. negotii conficiendi spem omnem in *Illustrissimis Germaniæ Principibus* constitutam esse, ad quas velut ad Cynosuram Nautæ, ita omnes tum *Imperii Ordines*, tum exteri oculos referunt, & sine quibus nihil harum rerum recte confici posse censent.

Rogare nos igitur & per *Dei* nomen obtestari, perque ipsorum & nostrorum omnium salutem, cum Ecclesiæ prosperitate conjunctam, ut *universam Ecclesiam Christianam* in summo discrimine *Illustriß. Principum* fidem obtestantem amplecti velint, & è mediis dissensionum fluctibus ducere.

Sic verò apud se cogitent latissimum quidem esse virtutis ipsorum & pie-

& pietatis Campum, uberiorem vero *Religionis* & pietatis exercendæ materiam atque segetem nullam esse, quam in hoc negotio. Quod si *Illustrissimorum Principum* authoritate & cura promoveatur, non dubitare nos quin omnia bonorum certatim studia & Vota, hoc præclarissimo facto promerituri sint, & *Dei* benedictionem plenissimam & amplissimam experturi.

Ex superiori formula cum omnibus quidem *Germaniæ Principibus & Ordinibus Segurius noster* acturus est, privatim vero, cum advenerit tempus, *Magnificis & Prudentissimis Amplissimæ illius Civitatis Consulibus & Senatoribus* benevolentiam nostram erga eos significabit, rogabitque nomine nostro, ut ad discutienda *Ecclesiæ* certamina, & amoliendos *Antichristi* conatus, totis viribus incumbant. Qua in re singulare eorum de *Ecclesia Christiana* bene merendi studium elucebit, & pulcherrimum